ANALYSIS LOGICA EVANGELII SECUNDUM MARCUM:

UNA CUM SCHOLIIS ET OBSERVATIONIBUS LOcorum doctrinæ.

Authore

M. JOHANNE PISCATORE, Professore sacrarum literarum in illustri schola Nassovica Sigenensi.

LONDINI,
Ex officina typographica *Richardi Field*.
1595.

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQ. VIRO, ENGELBERTO A LAVTERN: COMItatus Hanovicį Præfecto digniſſ. domino ac fautori ſuo plurimùm colendo.

Nobiliſſime ampliſſiméque Domine Præfecte. Rogatu quorundã piorum doctorúmque virorum adductus, analyſin meam librorum novi Teſtamenti (ſi Deus vitam & valetudinem, & otium, & gratiã denique ſuam mihi fuerit largitus) pertexere & publici juris facere conſtitui. Itaque analyſi Evangelii ſecundùm Matthæum, quam proxime-præteritis Francofurtenſibus nundinis edidi, nunc addo analyſin Evangelii ſecundùm Marcum: unâ cum Scholiis & Obſervationibus locorum doctrinæ. In quibus equidem tum Scholiis tum Obſervationibus eò breviori mihi eſſe licuit, quo plura Marcus cum Matthæo communia habet. Quare illa ferè quæ in Marco peculiaria occurrebant, annotaſſe contentus: in cæteris lectorem ad commentarium in Matthæũ remiſi.

Eſt autem hic liber, Evangelium inquam ſecundùm Marcum, non minoris in Eccleſia, ſemperq́, fuit,

authoritatis: quàm Evangelium ſecundùm Matthæum. Etſi enim non eſt ſcriptus ab Apoſtolo: ſcriptus tamen eſt ab Apoſtolico viro, & ab Apoſtolis eſt approbatus. Fuit enim, ut tradunt, Marcus hic auditor ac diſcipulus Petri: de quo ab eo factam mentionem putant ſub finem primæ ſuæ epiſtolæ: ubi eum filium ſuum nominat: ſive quod ex ipſo genitus eſſet, ſive quòd paterno amore ipſum complecteretur. Hunc igitur Marcum narrat Euſebius ex Clemente, rogatu Romanorum Evangelium ſuum conſcripſiſſe: & Apoſtolum Petrum illud Eccleſiis ad legendum authoritate ſua confirmaſſe. Narrat idem: Apoſtolum Iohannem, quum trium Evangeliſtarum (nempe Matthæi, Marci & Lucæ) ſcripta ad cunctos iam, & ad ipſum quoque perveniſſent: probaſſe ea, & veritatis teſtimonium illis dediſſe. Etſi autem ad libri huius authoritatem apud nos ſtabiliendam non parum momẽti meritò habet, quòd ab Apoſtolis Petro & Iohanne fuit approbatus, quodq; ſemper à vera Eccleſia pro canonico ſive authentico fuit habitus: tamen ſicut reliquæ ſcripturæ ſacræ, ita huius quoque libri, authoritas apud unumquenq; pium potiſſimùm ab arcano teſtimonio Spiritus ſancti dependet.

Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 15.

Ejuſd. hiſt. lib. 3. cap. 21.

Quærat hic fortaſſe aliquis, quânam linguâ hic liber à Marco ſit conſcriptus? Et ſunt qui tradant, librum hunc à Marco Romæ ſcriptum eſſe Latinè, ac deinde ab eodem Aquileiæ in Græcam linguam converſum. Et refert Widmanſtadius, archetypum illius Latinè conſcriptum Venetiis in Marcianis theſauris aſſervari. Quod poſtremum ſi ita ſe habet:

In epiſt. dedic. Novi Teſt. Syriaci.

habet: iure culpandi videantur illi, in quorum potestate thesauri isti sunt constituti: quippe qui tantum thesaurum in lucem non proferant, sed illum Ecclesiæ tanto iam tempore invideant. Sed omnino probabilius est: Marcum exemplo Apostolorum, etiam si in gratiam Romanorum potissimùm scriberet, Græcâ tamen linguâ in scribendo usum fuisse: ut quæ tunc Europæis quoque populis fuerit cognita atque usitata. Et sic videmus, Apostolum Paulum ad Romanos scripsisse linguâ non Romanâ sive Latinâ, sed Græcâ: ad Hebræos similiter linguâ non Hebreâ, sed Græca. Idem Petrus quoque & Iacobus, ad Iudæos scribentes fecerunt. Sed hæc de libri huius conditione satis dicta sunto.

Cæterùm quum virum aliquem pium quærerem, cui hoc meum opusculum convenienter dedicarem: accidit ut D. Iohannes Pincierus Medicus, collega & compater meus colendus, te (nobilissime amplissimeq; Domine Præfecte) mihi nominaret: affirmans se non dubitare, quin rem tibi gratissimam sim facturus. Huius ego suasui facilè locum dedi: tum quòd te hoc honore dignum existimarem: tum quòd mihi persuaderem, me (ut ipse affirmabat) rem tibi gratam facturum. Cur enim tali honore non existimarem dignum eum, qui à prudentissimis & pietate excellentibus viris dignus est iudicatus, ut Comitatui Hanovico administrando præficeretur? præsertim quum res ipsa ostendat, te hactenus præfecturam istam sapienter ac fideliter administrasse. Cur verò dubitarem, quin hac dedicatione rem tibi gratam sim facturus: quum iam pridem perspecta mihi sit

excellens tua & pietas & humanitas, necnon iudicium de scriptis meis honorificum, & benevolentia erga me singularis? Neque enim oblitus sum, quàm humaniter, quum aliquot abhinc annis illustres ac generosos Comites Hanovios, tum pueros, Philippum-Ludovicum & Albertum (quorum ego convictu tunc utebar) Herbornæ invisseres, mecum sis collocutus: quàm diligenter de scriptis meis Theologicis, iam tum à Corvino impressis, inquisieris: eademq; tibi, ut inde in veritatis cælestis cognitione proficeres, tunc comparâris. Spero igitur, hoc scriptum non minùs gratum atque acceptum tibi fore quàm illa tunc fuerunt: imò etiam magis, eò quòd nomini tuo peculiariter est inscriptum.

Faxit Deus Pater D. N. Iesu Christi, ut opusculum hoc non solùm tibi acceptum sit: sed omnibus qui ipsum lecturi sunt, utile ad proficiendum in cælesti veritate. Eundem oro, ut te Spiritu prudentiæ & fortitudinis regere, & vitam atque valetudinem diuturnam largiri tibi velit: ut præfecturam Comitatus Hanovici, fidei tuæ commissam, quam-rectissimè ac diutissimè administrare possis. Te vero rogo, ut me benevolentiâ & favore prosequi pergas. Sigenæ è schola illustri Nassovica, mense Ianuario, anno Domini 1595.

Amplitudinis tuæ
Studiosissimus
IOHAN. PISCATOR.

ANA-

ANALYSIS LOGICA EVANGELII SECUNDUM MARCUM.

ARGVMENTUM.

IDem ferè hujus libri argumentum est, quod est libri superioris, Evangelii scilicet secundùm Matthæum. Continet enim historiam de Jesu Christi dictis & factis, item perpessionibus & consecuta gloria. Historiam verò de ejusdem ortu quã Matthæus narrat, Marcus omittit, idque studio (ut videtur) brevitatis: quippe quum & reliqua pleraque breviùs quàm Matthæus cæterique, narret. Scopus autem seu finis idem planè est qui & Matthæi cæterorumque duorum Evangelistarum: videlicet demonstrare quòd hic Jesus Nazarenus sit Christus. Quæ demonstratio concluditur hoc syllogismo.

Is qui ad officium Propheticum in populo Dei administrandum habiturus fuit præcursorem Eliam [a], *seu vocem clamantis in deserto* [b]: *qui Evangelium fuit post illum prædicaturus in Galilæa* [c], *prædicationem suam multis ac variis atque stupendis miraculu propriâ virtute editis confirmaturus, sanando scilicet morbos incurabiles & vitia corporis inemendabilia, solo verbo seu imperio* [d]: *qui Hierosolymam tanquam rex fuit ingressurus, insidens asino* [e]: *acclamante populo, Hosanna filio David* [f]: *qui reprobandus fuit ab architectis domus Dei, videlicet primariis sacerdotibus, scribis & Pharisæis* [g]: *qui prodendus fuit Judæis per unum ex domesticis* [h] *pro pecunia* [i]: *qui tempore passionis deserendus fuit à discipulis* [k]: *qui reputandus fuit inter facinorosos* [l], *flagellandus* [m], *crucifigendus* [n], *in cruce pendens ab inimicis suis irridendus* [o]: *item ante cujus in cruce pendentis oculos partienda fuerunt vestimenta & sors super ea iacienda* [p]: *cujus corpus à divite impio fuit ad sepulturam honestam impetrandum* [q]: *qui tertio die* [r] *fuit è sepulchro resurrecturus* [s], *ac postea in cælum ascensurus* [t], *& ad dextram Dei consessurus* [u]: *is, inquam, in quo ista omnia*

a Malach. 3.
b Esa. 40. 3.
c Esa. 9. 1.
d Esa. 35. 5.
e Zach. 9. 9.
f Psal. 118 25
g Psa. 118. 22
h Psal 41. 10.
i Zach. 11. 13
k Zach. 13. 7.
l Esa. 53. 12.
m Ibid. v. 5.
n Psal. 22. 17.
o Ibid. v. 8.
p Ibid. v. 19.
q Esa. 53. 9.
r Ion. 2. 1.
s Esa. 53. 11.
t Psal. 68. 19
u Psal. 110. 1

fuerunt eventura, est Christus.

Atqui hic Jesus Nazarenus est is in quo ista omnia fuerunt eventura: quippe in quo reipsa evenerunt. Etenim præcursorem habuit Eliam [a], seu vocem clamantis in deserto [b], videlicet Johannem Baptistam: prædicavit post illum Evangelium in Galilæa [c]: suamque prædicationem miraculis stupendis propriâ virtute soloque imperio editis confirmavit [d]: Hierosolymam tanquam rex ingressus est, insidens asino [e]: acclamante populo, Hosanna filio David [f]: reprobatus fuit ab architectis domus Dei, primariis sacerdotibus, scribis & Pharisæis [g]: proditus fuit Judæis per unum ex domesticis [h] (videl. Judam Iscariotem) pro pecunia [i]: tempore passionis desertus fuit à discipulis [k]: præterea reputatus fuit inter facinorosos [l], flagellatus fuit [m], crucifixus [n], in cruce irrisus [o]: vestimenta ejus partita & sors super ea jacta [p]: sepulchrum ejus à divite impio (videl. Pilato) ad honestam sepulturam fuit impetratum [q]: tertio die è sepulchro resurrexit [r], ac postea in cælum ascendit [s], & ad dextram Dei consedit [u].

Ergo hic Jesus Nazarenus est Christus.

Hujus syllogismi propositio confirmatur testimoniis Prophetarum, quæ passim in hac historia allegantur. Assumptio verò cõfirmatur testimonio hujus narrationis: quæ fidem meretur apud omnes bonos: quum Marco (ut historici Ecclesiastici tradunt) dictata sit ab Apostolo Petro: qui horum ferè omnium αὐτόπτης fuit, & quæ ipse non vidit, ab ipso Domino cognovit.

Cæterùm potest propositum hoc concludi syllogismo breviore, ad hunc modum:

Is in quo evenerunt ea quæ in Christo eventura prædixerunt Prophetæ, est Christus.

Atqui Jesus hic Nazarenus, est is in quo illa evenerunt: ut patet ex collatione prophetiarum cum narratione Marci.

Ergo hic Jesus, est Christus.

Partes principales hujus historiæ sunt tres. Prima de administratione muneris Prophetici, quod administravit prædicando Evangelium, explicando legem Dei, arguendo peccata & falsa dogmata Judæorum: prophetando de cladibus populo Judaico eventuris, nec non de suo adventu

a Mar. 1. 1, & seqq.
b Ibid. 2. & seqq.
c cap. eod. v. 14. & seqq.
d cap. eod. v. 23. & deinceps passim in diversis capitibus usque ad v. 28, capitis 9.
e cap. 11, v. 1. & seqq.
f Ibid. v 9.
g cap. 14. v. 1 Item v. 55. & deinceps usque ad v. 65.
h ca. eod. v. 43. 44. 45.
i cap. eod. v. 10. 11.
k ca. eo. v. 50.
l cap. 15. 27.
m cap. eod. v. 15.
n Ib. v. 24. 25.
o Ibid. v. 29. & seqq.
p Ibid. v. 24.
q Ibid. v. 42. & seqq.
r cap. 16. 1 & s Ibid (seqq.
t ca. eo. v. 19.
u Ibid.

adventu ad judicium : cui tamen narrationi admixta sunt opera regia, videlicet vocatio discipulorum & legatio eorundem in Judæam ad prædicandum Evangelium, demonstratio miraculorum, ingressus regius in urbem, & denique repurgatio templi. Quæ pars continetur tredecim primis capitibus. Secunda pars est de administratione sacerdotii, quod administravit patiendo pro nostris peccatis ac moriendo: quæ historia continetur capitibus duobus, decimoquarto & decimoquinto. Tertia pars est de inchoatione regni glorioſi, per resurrectionem à mortuis, legationem Apostolorum in universum orbem terrarum ad prædicandum Evangelium & baptizandum Evangelio credentes, & denique per ascensionem in cælum & sessionem ad dextram Dei. Hæc pars continetur capite unico, nempe ultimo.

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Novem sunt hujus capitis partes. 1. de ministerio Johannis Baptistæ. 2. de Baptismo Christi. 3. de tentatione ejus à diabolo. 4. de vocatione quatuor discipulorum. 5. de prædicatione Christi in synagoga Capernaumi & ejectione dæmonii. 6. de sanata socru Petri. 7. de sanatis multis simul. 8. de prædicatione Christi in contiguis oppidulis. 9. de purgatione leprosi. Harum partium tres primæ pertinent ad præparationem Christi, qua ad muneris Prophetici administrationem fuit præparatus. Etenim Iohannes Baptista præparavit illi auditores: Deus pater in baptismo præparavit ipsum, instruendo eum donis Spiritus sancti ad Evangelium sapienter & cum authoritate prædicandum necessariis: Spiritus sanctus eundem præparavit expellendo eum in desertum, ut ibi tentaretur à Satana, eumque vinceret ac profligaret ex verbo Dei.

PRIMA PARS.

De ministerio Johannis Baptistæ.

PRincipium Evangelii Jesu Christi Filii Dei :

2 *Ut scriptum est in Prophetis, Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te.*

3 *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, complanate semitas ejus.*

4 *Baptizabat Johannes in deserto, & prædicabat baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum.*

5 *Et exibat ad eum tota Judæa regio ac Jeroſolymitæ: & baptizabantur omnes ab eo in Jordane flumine, confitentes peccata ſua.*

6 *Indutus autem erat Johannes pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ſuos: & edebat locuſtas & mel ſylveſtre.*

7 *Et prædicabat, dicens, Venit ponè me qui robuſtior me eſt, cujus non ſum dignus qui incurvatus ſolvam corigiam ſolearum.*

8 *Ego quidem baptizavi vos aquâ: ipſe verò baptizabit vos Spiritu ſancto.*

INitio ponitur *propoſitio* hujus partis, complectens ſimul propoſitionem totius libri: quarum hæc continetur his verbis, *Evangelium Jeſu Chriſti filii Dei*: illa iſtis, *Principium Evangelii* &c. Etenim *principii* vocabulo intelligit miniſterium Johannis, à quo hiſtoria hæc Evangelica inchoatur. Deinde recitat *prophetiam* Malachiæ, v. 2. & prophetiam Eſaiæ, v. 3. *de miniſterio Johannis*: ad probandum, Jeſum eſſe Chriſtum: quippe quòd in illo prophetiæ iſtæ ſint impletæ. Tum. v. 4. *miniſterium ipſum Johannis declarat* per duas partes: videlicet novum ritum ſeu ceremoniam baptiſmi, & doctrinam: cujus capita indicat duo, reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum. Significat igitur, Johannem exhortatum eſſe Judæos ad reſipiſcentiam, & reſipiſcentibus annuntiaſſe remiſſionem peccatorum per Chriſtum propediem exoriturum, dummodò in illum crederent: & hanc ſuam doctrinam in iis qui eam receperunt, obſignaſſe baptiſmo. Præterea v. 5. narrat *miniſterii Johannis eventum*, nempe quòd Judæi magno numero ad illum confluxerint, ejuſque doctrinæ ac montis obedierint. Adhæc v. 6. indicat *Johannis veſtitum & victum ſingularem*, atque adeò excitandis animis Judæorum accommodatum. Poſtremò v. 7. & 8. recitat *teſtimonium Johannis de Chriſto*, cujus teſtimonii duæ ſunt partes: una de præſtantia perſonæ illius, quam Johannes ſignificat collatione ſui ipſius tanquam longè minoris: qua innuit, illum non eſſe nudum hominem, ſed omni humana ſanctitate ac dignitate longè ſuperiorem, videlicet Deum, v. 7. Altera teſtimonii pars eſt de Chriſti officio quodam regio: quod eſt baptizare Spiritu ſancto: quibus verbis Johannes

nes tum missionem illam Spiritus sancti sub specie linguarum ignearum in Apostolos factam die pentecostes, tum etiam arcanam regenerationem electorum intelligit de qua Christus monet Johannis 3. in colloquio cum Nicodemo.

SECUNDA PARS.

De baptismo Christi.

9 *Et factum est diebus illis, venit Jesus à Nazareth* urbe *Galilææ, & baptizatus est à Johanne in Jordane.*

10 *Et statim ascendens ex aquâ, vidit findi cælos, & Spiritum tanquam columbam descendere.*

11 *Et vox extitit è cælis, Tu es filius ille meus dilectus, in quo acquiesco.*

Versu 9. narratur *quando* baptizatus sit Christus, *unde* ad baptismum suscipiendum aduenerit, *ubi* baptizatus sit, & *à quo*. Versu 10. narratur, quid Johanni statim quum eum baptizasset, *evenerit*: nempe visum miraculosum longè magnificentissimum, tribus partibus constans, ut in textu patet. Fuit autem isto miraculo significatum, hunc Jesum à Deo patre ordinatum esse & hoc ipso tempore vocari ad fungendum apud populum Dei munere prophetico, & ad illud donis Spiritus sancti, ac præsertim mansuetudine, abundè instrui: nec non ad fungendum munere mediatoris sive summi sacerdotis per quem Deus electis suis velit placari.

TERTIA PARS.

De tentatione Christi à diabolo.

12 *Statimque Spiritus eum expellit in desertum.*

13 *Et fuit illic in deserto dies quadraginta, tentante eum Satanâ. eratq; cum feris: & angeli ministrabant ei.*

Primùm indicatur tentationis Christi *tempus*, nempe quòd tentatus sit aut certè ad tentationem præparatus statim à suscepto baptismo. Deinde *author principalis*, videlicet Spiritus sanctus. Tum *locus*, nempe desertum. Quartò *iterum tempus*, nempe post exactos in deserto quadraginta dies. Quintò *minister*, videl. Satanas. Sextò *adjunctum*

miraculum, nempe quòd illæsus obambulavit inter feras. Postremò *eventus* lætus, nempe ministerium Angelorum, qui scilicet esurienti attulerunt cibum. Cæterùm quum hîc dicimus, authorem principalem istius tentationis fuisse Spiritum sanctum, id rectè & sanctè accipiendum est. neque enim sentimus, Spiritum sanctum quenquam tentare ad malum, aut impellere Satanam ad tentandum sed intelligimus, Spiritum sanctum impulsu suo Christum objecisse tentandum Satanæ, & hanc tentationem Satanæ permisisse ad Christum probandum, quum potuisset illam potentiâ suâ impedire. Imò verò Spiritus sanctus Christum Satanæ tentandum ita objecit, ut eum in tentationibus sustentaverit, inspirando ei verbum Dei scriptum quo Satanam vinceret ac profligaret: sicut ex narratione Matthæi & Lucæ constat.

QUARTA PARS.

De vocatione quatuor discipulorum.

14 *Postquam autem traditus fuit Johannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei:*

15 *Et dicens, Impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei: resipiscite, & credite Evangelio.*

16 *Ambulans autem juxta mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem ejus, jacientes rete in mare, (erat enim piscatores.)*

17 *Et dixit eis Jesus, Sequimini me, & faciam ut sitis piscatores hominum.*

18 *Et ipsi statim omissis retibus suis secuti sunt eum.*

19 *Tunc progressus illinc paululum, vidit Iacobum* filium *Zebedæi, & Iohannem fratrem ejus, qui & ipsi in navigio sarciebant retia:*

20 *Statimque vocavit eos, & ipsi omisso patre suo Zebedæo in navigio cum mercenariis, secuti sunt eum.*

Huic narrationi præmittitur *propositio* narrationis de administratione muneris prophetici, quæ deinceps per partes fiet. Ac primò indicatur *tempus* quo Christus administrationem illam cœpit, videlicet postquam Iohannes traditus fuit in custodiam, ita ut non amplius prædicare ac baptizare posset. Deinde *locus* ubi eam inchoavit, videl. in Galilæa. Tum *ipsius doctrinæ summa*, nempe quòd

præ-

prædicaverit Evangelium regni Dei. Quæ ſumma deinceps per partes declaratur: nempe quòd hortatus ſit ad reſipiſcentiam & fidem Evangelii: ubi etiam adjicitur hortationis argumentum ſeu ratio ab occaſione temporis præſentis quæ nemini ſapienti & ſalutis ſuæ cupido ſit negligenda: quippe quòd jam adſit beatum illud tempus per Prophetas prædictum quo Evangelium ſit prædicandum, ad colligendum in regnum Dei omnes illi credentes. His præmiſſis ſubjungit narrationem *de vocatione quatuor diſcipulorum*: quos videtur ſibi adſciviſſe comites antequam prædicationem ipſam inciperet. Etenim hanc incepiſſe demum videtur in ſynagoga Capernaümi, ſicut mox in parte quinta narrabitur deinde exordio in urbe illa ubi tũc habitare cœperat, facto, progreſſus eſt in oppidula contigua: ſicut narrabitur in parte octava. Deſcribitur autem primùm vocatio Simonis & Andreæ fratrum, v. 16. 17. 18. deinde Jacobi & Johannis, item fratrum, verſibus reliquis. Vocatio priorum deſcribitur primùm ab occaſione, deinde à forma, tum ab eventu. *Occaſio* fuit, quòd incidit in illos piſcantes: inde enim ſumpſit occaſionem denuntiandi eis quòd velit eos facere piſcatores hominum, id eſt, Apoſtolos ſeu præcones Evangelii qui reti Evangelii caperent homines electos & colligerent in regnum Dei. *Forma* indicatur his verbis, *Sequimini me* &c. *Eventus* fuit, obedientia illorum: quæ amplificatur partim à circumſtantia temporis, quòd nempe *ſequuti ſint ſtatim*: partim à cauſa corrumpente, quòd ſequuti ſint *relictis retibus ſuis*, non paſſi ſcilicet ſe à Domino ſtatim ſequendo impediri curatione illorum ne quid damni acciperent. Vocatio poſteriorum ſimiliter tribus illis modis deſcribitur, ſed breviùs quoad priores duos: plenius autem quoad tertium. Etenim illic narratur cauſa corrumpens majoris momenti, videlicet pater & mercenarii: quos in navi reliquerunt.

QUINTA PARS.

De prædicatione Chriſti in ſynagoga Capernaümi & ejectione dæmonii.

21 *Et ingrediuntur Capernaum: ſtatimq; ſabbatho ingreſ-*

ſus Ieſus in ſynagogam, docebat.

22 *Et percellebantur ſuper doctrina ejus, docebat enim eos ut authoritatem habens, & non ut Scribæ.*

23 *Erat autem in ſynagoga eorum quidam habens ſpiritum impurum, qui exclamavit,*

24 *Dicens, Ah, quid nobis tecum Jeſu Nazarene? veniſti ut perderes nos? novi te qui ſis, nimirum Sanctus ille Dei.*

25 *Et objurgavit eum Jeſus, dicens, Obmuteſce, & exi ab eo.*

26 *Tunc, quum diſcerpſiſſet eum ſpiritus ille impurus, & clamaſſet voce magna, exiit ab eo.*

27 *Et expaverunt omnes, ita ut mutuò quærerent inter ſe, dicentes, Quid eſt hoc? quæ doctrina nova hæc, quòd per poteſtatem imperat etiam ſpiritibus impuris, & auſcultant ei?*

28 *Pervênit autem fama ejus ſtatim in totam regionem circumjacentem Galilææ.*

Prædicatio Chriſti in ſynagoga Capernaïtmi deſcribitur primùm ab adjunctis *comitibus* quos ſecum duxit docturus, nempe quatuor illis diſcipulis quos paulo-antè vocaverat & in contubernium ſuum adſciverat, ut vidimus in parte præcedente. De his dicitur, *Et ingrediuntur Capernaüm:* nempe Ieſus & quatuor illi. Deinde indicatur *tempus* quo prædicationem illam ſuſcepit, videlicet in proximo ſabbatho. Tum indicatur prædicationis effectus, nempe ſumma admiratio: cujus cauſa procreans ſpecialis ſimul exponitur, nempe ipſe *docendi modus:* quòd docebat tanquam habens poteſtatem ſive authoritatem, magnâ ſcilicet cum fiducia & magno cum fervore. Qui modus docendi amplificatur collatione diſſimilis, videlicet modi docendi Scribarum, quos innuit Evangeliſta docuiſſe frigidè ac trepidè, ut qui de veritate ſuæ doctrinę non eſſent certò perſuaſi, nec de promovenda gloria Dei & ſalute populi admodum ſoliciti. Atque hæc de prædicatione: jam ad *ejectionem dæmonii* qua prædicationem ſuam Dominus obſignavit, quod attinet: indicatur primùm illius *occaſio*, nempe præſentia objecti, videlicet hominis dæmoniaci, ver. 23. Deinde *cauſa corrumpens*, nempe ſermo dæmonii quo conatus eſt ejectionem ſui impedire, deprecando illam. Deprecatio illa conſtat tribus argumentis

mentis seu rationibus: quæ omnes rationem habent causarum impulsivarum. Prima est, *Quid nobis tecum, Iesu Nazarene?* quasi dicat dæmonium: Nos mali spiritus qui complures in hoc populo obsidemus, nihil tibi facessimus molestiæ aut negotii: Quare æquum est ut nec tu nobis sis molestus, sed sinas nos agere quod nobis libet. Secunda ratio: *Venisti ut perderes nos?* Quasi dicat: Nondum adest illud tempus quo sumus perdendi: Ergo omitte nos interim & sine nos liberè agere, donec tempus illud advenerit. Tertia ratio: *Novi te qui sis, nimirum Sanctus ille Dei.* Quasi dicat, Ego tibi defero debitum honorem, profitendo te esse Christum, à Deo sanctificatum atque ordinatum in redemptorē hominum electorum. Quare peto ne me affligas aut malè mihi facias: quum ego tibi faciam bene, te honorando. Tota hæc deprecatio amplificatur ab adjuncto clamore: in quo ipso quoque argumentum deprecationis latet, quippe quum illo clamore significet suam miseriam: licet interim misericordiam Christi non serio imploret. Atq; hæc de secundo hujus narrationis membro, videlicet de ejectionis illius causa corrumpente. Tertiò exponitur *ipsa ejectionis forma*, consistens in actionibus tum ejicientis tum illius qui ejiciebatur. Ejicientis, nempe Christi, actiones indicantur duæ: mandatum silendi & mandatum exeundi, v. 25. Actiones dæmonii quod ejiciebatur, dicantur itidem duæ: discerptio dæmoniaci & clamor, v. 26. Quartò narratur ejectionis *effectum geminum in spectatoribus*, nempe pavor & admiratio summa: quæ ostenditur ex ipsorum confessione, v. 27. Deinde divulgatio rei apud vicinos, v. 28.

SEXTA PARS.

De sanata socru Petri febricitante.

29 *Et statim è synagoga egressi, venerunt domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Iohanne.*

30 *Socrus autem Simonis decumbebat febricitans: & statim dicunt ei de illa.*

31 *Tunc accedens erexit eam, prehensa manu ejus: & dimisit eam febris statim: & ministravit eis.*

Primùm indicatur ſanationis hujus *tempus*, quòd ſcilicet acciderit ſtatim poſt illam ejectionem dæmonii, de qua in parte præcedente. Deinde *locus*, quòd facta ſit in domo Simonis & Petri. Tum *ſpectatores ſive teſtes*, nempe quatuor illi diſcipuli. Quartò *ſitus ſanandæ*, quòd decubuerit. Quintò *conditio*, quòd febricitârit. Sextò *cauſa impulſiva*, videl. interceſſio quatuor diſcipulorum. Septimò *modus agendi* ſeu ipſa ſanationis forma, quòd illam Ieſus apprehenſam manu erexit. Poſtremò *eventus* in ſanata, quòd eis miniſtraverit, puta apparando cænam.

SEPTIMA PARS.

De ſanatis multis ſimul.

32 *Veſperâ autem factâ, quum occideret ſol, adducebant ad eum omnes malè affectos & dæmoniacos.*

33 *Et urbs tota congregata erat ad oſtium.*

34 *Et ſanavit multos malè affectos variis morbis: & dæmonia multa ejecit: & non ſinebat loqui dæmonia, quòd ipſum noſſent.*

Primùm indicatur ſanationis illorum *tempus*, nempe veſpera. Deinde *cauſa impulſiva*, nempe interceſſio ſive petitio eorum qui illos adducebant ſive offerebant. Tum ſanandorum *diſtributio* & *multitudo*, quòd adduxerint omnes (nempe quotquot in urbe habebant Capernaitæ. Poſtremò *forma ſeu modus agendi* partim innuitur, quoad omnes qui ſanati tum fuerunt: partim verò exprimitur quoad nonnullos, videlicet dæmoniacos. Quoad omnes qui ſanati fuerunt, innuitur illos fuiſſe ſanatos per Chriſti contactum: ſive ipſe eos attigerit, ſive ipſi ſaltem illum. Hoc innuitur illis verbis quum dicitur, *ſanaviſſe multos & ejeciſſe dæmonia multa*. id quod videtur intelligendum de iis quibus contigit ipſius contactus. Oportebat enim ſingulis μαρτύριον ſuæ ſanationis eſſe impreſſum, ut certo eſſent perſuaſi ſe ab hoc Ieſu ſanatos eſſe. Nam ſi ſolo imperio illos ſanaſſet, unâ eâdemque operâ ſanaſſet omnes: at dicitur ſanaſſe multos. Specialis autem agendi modus circa dæmoniacos fuit, quod dæmonia non ſinebat loqui: ne proderent ipſum eſſe Chriſtum. id quod illo tempore non-

nondum debuit populo innoteſcere: ſed debuerunt paulatim, & ratiocinando ex collatione prophetiarum cum iis quæ ipſe agebat quæq; ei accidebant, in cognitionem ipſius deduci. Neque teſtimonium à malis ſpiritibus habere voluit: quum illorum teſtimonium propter mendacem ipſorum naturam veritatem poſſit reddere ſuſpectam.

OCTAVA PARS.

De prædicatione Chriſti in contiguis oppidulis.

35 *Et manè, valde multâ nocte, quum ſurrexiſſet, exiit, & abiit in deſertum locum, & illic precabatur.*

36 *Et proſequuti ſunt eum Simon & qui* cum ipſo *erant.*

37 *Et quum inveniſſent eum, dicunt ei, Omnes te quærunt.*

38 *Tunc dicit eis, eamus in contigua oppidula, ut & illic prædicem. ad hoc enim ſum egreſſus.*

39 *Et prædicabat in ſynagogis eorum, in tota Galilæa, & dæmonia ejiciebat.*

Primùm indicatur *præparatio* Chriſti qua ſe ad hanc prædicationem præparavit, nempe precatio: quæ ipſa deſcribitur à tempore, quòd ad precandum exierit ſummo manè: & à loco, quòd ad precandum abierit in locum deſertum. Deinde narratur *cauſa corrumpens* quæ prædicationem illam poterat impedire: nempe nuntium diſcipulorum de Capernaitarum deſiderio ipſius adeundi, v. 36. & 37. Tum *modus agendi*, quòd ſcilicet prædicationem illam ſuſceperit conſultò, v. 38. Poſtea indicantur *loca* ſpecialia ubi prædicavit, videl. in ſynagogis: quæ indicatio amplificatur ab adjuncta multitudine, quòd ſcil. prædicaverit in ſynagogis totius Galilææ. Poſtremò indicatur quoddam illius prædicationis adjunctum, videl obſignatio ejus per ejectionem dæmoniorum.

NONA PARS.

De purgatione leproſi.

40 *Venitque ad eum leproſus, precans eum & in genua coram eo procumbens, ac dicens ei; Si velis, potes me purgare.*

41 *Ieſus autem miſericordia commotus, extenſâ manu, tetigit eum, & dixit ei, Volo, purgator.*

42 *Et quũ hæc dixisset, statim abiit ab eo lepra, & purgatus fuit.*

43 *Et graviter interminatus ei* Jesus, *statim ablegavit eum.*

44 *Dixitque ei, Vide* ut *nemini quicquam dicas: sed abi, ostende teipsum sacerdoti, & offer pro purgatione tui quæ imperavit Moses, in testimonium adversus ipsos.*

45 *Ille verò egressus cœpit prædicare multa, & rem divulgare, ita ut jam non posset Jesus manifestè introire in civitatem: sed foris in desertis locis erat, & veniebant ad eum undiq;.*

Primùm indicatur *causa impulsiva procatarctica*, quæ Christum movit ad leprosum istum purgandum, videlicet ipsius leprosi petitio: quæ amplificatur ab adjuncto gestu honorifico, nempe prolapsione in genua. Petitio autem est conditionalis: petit enim purgari, si Christus id velit facere. Simulq; continet professionem fidei. profitetur enim leprosus, se credere, quòd Christus purgare ipsum possit. Deinde indicatur *causa impulsiva antecedens*, εὐσπλαγχνισθείς, videlicet misericordia Christi. Tum *modus agendi*, seu ipsa purgationis forma, posita partim in gestu, nempe contactu, partim in verbis: quibus testatur se velle, ac proinde præcipit lepræ ut cedat. Postea exponitur *miraculum ipsum*, ver. 42. Postremò narrantur *eventa* varia. Ac primùm quid inde evenerit in ipso Christo: nempe quòd leprosum illum purgatum à se dimiserit: quòd ei interdixerit, ne purgationem illam patefaceret, nempe statim ante acceptum testimonium à sacerdote: denique quòd ei præceperit ut & sacerdoti se ostenderet, & pro purgatione sui offerret quæ imperavit Moses. ubi innuitur illius præcepti ratio à fine, qui pertinebat ad illum leprosum, nempe ut observaret Legem Dei. Cui rationi additur altera à fine alio, qui pertinebat ad sacerdotes: nempe ut acciperent testimonium contra se, quo scilicet convincerentur de sua perversitate ac malitia in Christo repudiando: quum tamen ipsi miracula ejus verè divina, & Christi propria, testimonio suo approbassent. Deinde adduntur eventa alia, eaque in diversis varia: quorum alia ex aliis extiterunt: nempe in illo leproso, quòd contra interdictum rem statim divulgarit: in populo, quòd undique ad Christum venerunt, offerendo scilicet ei ægrotos quos sanaret,

sanaret, aut saltem cupiditate ejus videndi atq; audiendi & miracula ipsius spectandi: denique in Christo, quòd quæsivit loca deserta, ubi lateret ad tempus, capiendæ scil. quietis causâ: ut qui per illos dies obambulando Galilæam, docendo & ægrotis sanandis, fuerat defessus.

SCHOLIA IN CAP. I.

1 *Principium Evangelii &c.* Id est, Hoc est principium historiæ Evangelicæ de Jesu Christo. Hoc, nempe historia de ministerio Johannis Baptistæ: ex collatione versus quarti & sequentium. Hinc apparet, non esse propositum Marco, scribere historiam nativitatis & infantiæ, itemq; pueritiæ & adolescentiæ Christi: sed res quas gessit ac perpessus est jam adultus, incipiendo à prædicatione Evangelii: ad quam audiendam Johannes Baptista populum prædicatione suâ præparavit. *Evangelii Iesu Christi.* Id est, Evangelii de Jesu Christo. Genitivus subjecti. *Filii Dei.* υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Scil. unigeniti.

2 *In Prophetis.* ἐν τοῖς προφήταις. Id est, in libris Prophetarum. Plurali numero utitur vel per synecdochen integri, vel quia recitat dicta duo ex Prophetis diversis, Malachia scil. & Jesaia, *Ego.* Scil. Deus pater: ut percipitur ex sequentibus. *Nuntium meum.* τὸν ἄγγελόν μου. Scil. Johannem Baptistam: teste angelo, Luc. 1. v. 16. & 17. *Ante faciem tuam.* πρὸ προσώπου σου. Et mox. *Viam te.* ἔμπροσθέν σου. Apud Malachiam habetur, לפני, id est, ante faciem meam. Quare apud Prophetam introducitur loquens Christus ipse & alloquens populum: apud Evangelistam verò Deus pater, alloquens Christum. *Qui parabit viam tuam.* ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου. In Hebr ופנה דרך, id est, Et expediet viam, removendo scilicet obstacula ut via possit cerni & pateat aspectui. Hæc enim videtur esse emphasis vocis Hebraicæ. Sed quomodo Johannes paraturus erat viam Christo? Nempe dando testimonium de illo quòd ipse sit Christus, ut eum feciſſe narrat Iohannes: & convertendo cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipsorum: ut habetur Malach. 4. in fine: & eum facturum fuisse testatus fuit angelus Luc. 1. v. 16. & 17.

3 *Vox clamantis.* φωνὴ βοῶντος &c. Qua ratione excerpta

sint hæc verba ex Iesaia, expoſui in ſcholiis in Matth.3. v.3. *Parate viam.* &c. Vide ibid.

4 *In deſerto.* ἐν τῇ ἐρήμῳ. Scil. Iudææ, Matth.3.v.1. *Prædicabat baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.* Id eſt, Prædicabat reſipiſcendum eſſe & credendum in Chriſtum: ac teſtabatur, reſipiſcentes atque credentes habere remiſſionem peccatorum: præcipiebatque ut in hujus rei teſtimonium atque profeſſionem baptizarentur. *Baptiſmum reſipiſcentiæ.* βάπτισμα μετανοίας. Id eſt, qui reſipiſcentiæ teſtificandæ atque profitendæ adhibebatur. neque enim baptizabat niſi eos qui confeſſione peccatorum editâ, reſipiſcentiam ſuam teſtatam reddebant. Genitivus ſubjecti. Cæterùm nomine *reſipiſcentiæ* per ſynecdochen membri ſimul intelligenda eſt fides in Chriſtum: ut percipitur ex verbis Pauli Act.19.v.4. *Ad remiſſionem peccatorum.* εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Dubium eſt unde pendeant hæc verba: an à verbo, *Prædicabat* an à nomine *Baptiſmum*: an denique à nomine, *Reſipiſcentiæ*. Ego puto pendêre à nomine βάπτισμα: ſed ſubintellecto articulo, vel potiùs articulo & participio huic ſententiæ conveniente. quaſi dicatur: κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας τὸ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Scil. κήρυκον. Id eſt: prædicabat baptiſma reſipiſcentiæ *quod* ad remiſſionem peccatorum *pertinet*, ſeu *deſtinatum eſt*. Ut ſic putem: movet me ſimilis ſermo Apoſtoli Petri de re eâdem, Act.2.v.38. *Reſipiſcite, & baptizetur unusquisque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti ad remiſſionem peccatorum.* Sed hoc eſt rectè intelligendum: videlicet ad remiſsionem peccatorum teſtificandam ſive obſignandam: non autem, ad illam conſequendam hoc opere. Nam ut remiſſio peccatorum ſeu juſtitia fidei in veteri Teſtamento per circumciſionem non conferebatur, ſed obſignabatur, teſte Apoſtolo ad Rom.4. ſic in novo Teſtamento per Baptiſmum, qui Circumciſioni ſucceſſit, remiſſio peccatorum non confertur, ſed obſignatur.

5 *Tota Iudæa regio.* πᾶσα Ἰουδαία χώρα. Ad verb. Omnis Iudæa regio: id eſt, Iudaica regio. *Tota:* id eſt, fere tota. Hyperbole. nam non omnes ad eum veniſſe: liquet ex eo, quòd omnes qui ad eum venerunt, baptizati ab eo ſunt:

sunt: ut mox affirmat Evangelista. At non omnes ab eo esse baptizatos: patet ex testimonio Christi Matth. 21. v.32.ubi reprehendit primores Judæorum, quòd Johanni non crediderint. Nam certè si ei credidissent, baptizari se quoque ab eo curassent: & vicissim si baptizati fuissent, habiti fuissent pro iis qui Johanni credidissent. *Et baptizabantur omnes*. Scil. qui ad eum venerant. nam non simpliciter omnes esse baptizatos, modò est ostensum.

10 *Et statim ascendens*. καὶ εὐθὺς ἀναβαίνων. Scil. Johannes: ut videtur postulare cohærentia verborum sequentium, *Vidit findi cælos*. Nec pugnat hoc cum Matthæo, qui dicit: *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua*. Nam potuit fieri ut uterque ascenderet: Jesus & Johannes. Nisi potiùs dicendum, participium ἀναβαίνων positum hic esse absolutè ad designandũ consequentiam: pro, ἀναβαίνοντος, scilicet ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ. Ut hic locus sic sit vertendus: *Et statim ascendente eo* (nempe Jesu) *ex aqua, vidit* (scil. Johannes) *findi cælos &c.*

13 *Tentante eum Satana*. πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ. Vel, Et tentabatur à Satana: scilicet exactis illis 40 diebus, Matth.4.v.2.& 3. *Et Angeli ministrabant ei*. καὶ οἱ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ. Scil. posteaquam diabolus consummatâ ista tentatione, ab eo recessisset, Luc.4.v.13.& Matth.4.v.11.

14 *Postquam autem traditus fuit Johannes*. Scil. in carcerem. Vide Matth.14.v.1.& deinceps: item infrà 6.v. 14. & deinceps. *Evangelium regni Dei*. Id est, lætam doctrinam de ratione regnum Dei consequendi.

15 *Impletum est tempus*. ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρός. Nempe, tempus illud quo Christum venturum prædixerunt Prophetæ. hoc innuit articulus. Cæterùm conjunctio ὅτι hîc servit mimesi seu prosopopœiæ. *Et appropinquavit regnum Dei*. Epexegesis. Sensus est: Appropinquavit tempus illud quo Christus inchoabit regnum suum per Evangelii prædicationem. *Resipiscite*. μετανοεῖτε. Id est, Resipiscite igitur. *Credite Evangelio*. πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. Ad verb. Credite in Evangelio. pro, εἰς τὸ εὐαγγέλιον, in Evangelium. Phrasis καταχρηστική: cujus exemplum est in illo Exod.14. v. ult. *Et crediderunt in Jehovam & in Mosen*: pro, Jehovæ

& Moſi.

20 *Sequuti ſunt eum.* ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ. Adverb. Abierunt poſt eum. Id eſt, ἠκολούθησαν αὐτῷ, ut habet Matthæus.

21 *Sabbatho.* τοῖς σάββασιν. Ad verb. Sabbathis. Enallage numeri.

22 *Authoritatem.* ἐξουσίαν. Sive, poteſtatem.

23 *Quidam.* ἄνθρωπος. Ad verb. Homo. *Habens ſpiritum impurum.* ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ. Scilicet ὤν. Ad verb. Qui erat in ſpiritu impuro. Id eſt, cum ſpiritu impuro. Hebraiſ. Hoc eſt, præditus ſpiritu impuro. *Qui exclamavit.* καὶ ἀνέκραξε. Ad verb. Et exclamavit. Scil. ſpiritus ille impurus: ut liquet ex ſequentibus.

24 *Quid nobis tecum.* τί ἡμῖν καὶ σοί; Ad verb. Quid nobis & tibi? Sic Johan. 2. v. 4. *Ut perderes nos.* ἀπολέσαι ἡμᾶς. Id eſt, me meosq; ſocios, cæteros ſcilicet ſpiritus impuros in Judæa tum graſſantes. *Sanctus ille Dei.* ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ. Id eſt, Sanctus ille, qui à Deo ſanctificatus atque ordinatus eſt in ſervatorem mundi. Genitivus adjuncti vel efficientis. Periphraſis Chriſti.

25 *Obmutesce.* φιμώθητι. Ad verb. Capiſtrator. Metaphora. φιμὸς capiſtrum ſeu fiſcellam ſignificat, qua os occluditur equis aliísve animalibus, ut bobus. unde illud: οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα. Ne capiſtrato bovem triturantem: 1. Cor. 9. v. 9.

27 *Quòd per poteſtatem, &c.* ὅτι καὶ' ἐξουσίαν &c. Conjunctionem ὅτι vetus interpres reddidit, *Quia*: novus, *Ut*. Ego accipio εἰδικῶς: ut pendeant hæc verba ab illis, *Quid eſt hoc*, per appoſitionem. Apparet enim, ſententias eſſe trajectas.

34 *Et ſanavit multos.* καὶ ἐθεράπευσε πολλούς. Nempe omnes eos quibus dabatur propiùs accedere, ita ut liceret opem ejus implorare, & ab ipſo attingi, vel ſaltem ipſum attingere. Confer infrà 6. v. 5. Matt. 14. v. 36.

38 *Oppidula.* κωμοπόλεις. Vetus interpres, *Vicos & civitates*: ut uideatur legiſſe, κώμας καὶ πόλεις.

39 *In tota Galilæa.* εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν. Pro, ἐν ὅλῃ τῇ Γαλιλαίᾳ. Enallage Hebraica.

40 *Et*

40 *Et in genua coram eo procumbens.* καὶ γονυπετῶν αὐτόν. Vetus, *Genu flexo.* Novus, *Eiq; ad genua accidens.* Sed γονυπετεῖν plus est quàm genua flectere, nempe in genua procidere, & refertur ad genua adorantis, non autem ejus qui adoratur: ex nomine γόνυ, genu, & verbo πίτειν, quòd est πίπτειν, cadere: Lucas pro hoc dicit, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, procidens in faciem: id quod pulchrè cum altero convenit.

43 *Graviter interminatus ei.* ἐμβριμησάμενος αὐτῷ. Ad verb. Quum infremuisset in eum. Nam hoc propriè significat verbum istud: ut patet ex Johan. 11. v. 33. & 38. Sed hîc per metonymiam efficientis usurpatur. nam qui in aliquem fremunt seu alicui indignantur, solent ei graviter comminari. *Ablegavit eum.* Ἐξέβαλεν αὐτόν. Ad verb. Ejecit eum. Id est, repulit eum à se: non est passus ut se comitaretur.

44 *Nemini quicquam dicas.* μηδενὶ μηδὲν εἴπῃς. Ad verb. Nemini nihil dicas. Græcismus. Item synecdoche generis: eaq; gemina. Sensus enim est: vide ut nemini quicquam dicas de hac re, quòd scil. sis à me purgatus: antequam te ostenderis sacerdoti: ut colligitur ex antithesi sequente.

45 *Et rem divulgare.* καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον. Vetus verbum verbo reddens, *Et diffamare sermonem.* Sed diffamandi verbum non hunc usum habet apud Latinos: & λόγος hîc accipitur pro re, per Hebraismum. *In civitatem.* εἰς πόλιν. Bifariam potest accipi. Vel indefinitè, In civitatem aliquam: vel definitè, In civitatem Capernaûm, ubi tunc habitabat. Prius verisimilius, propter omissum articulum.

OBSERVATIONES LOCORUM DOCTRINAE EX CAP. I.

Ex v. 1. sumi potest definitio Evangelii hæc, quòd Evangelium sit doctrina de Jesu Christo filio Dei: hoc est, qua docetur, virum illum Jesum Hierosolymis sub Pilato crucifixum, esse non nudum hominem, sed simul Deum: quippe filium Dei unigenitum: ac præterea

esse Christum, hoc est, summum populi Dei sacerdotem & regem. Sic summa Evangelii in duobus capitibus consistit: in doctrina de persona Christi, & in doctrina de officio ejusdem.

§18. Ex v.2.3.4.5. Jesum illum Nazarenum esse Christum, inter alia argumenta constat etiam hinc, quòd habuit præcursorem Eliam, hoc est, Johannem Baptistam. Errant igitur Judæi, dum adventum Christi adhuc exspectant.

πειθ. Ex v.2.3.4. Ministri Evangelii per prædicationem pœnitentiæ homines præparare debent ad excipiendum fide Christum: exemplo Johannis Baptistæ primi præconis Evangelii. Hoc autem officium omnibus Evangelii præconibus commune esse, monet Christus Luc. ultimo, vers. 47. ubi post resurrectionem suam discipulis sese ostendens, inter alia dicit: Oportere in nomine Christi prædicari resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes.

§18. Ex.v.4. Baptismus est divinum testimonium resipiscentibus & in Christum credentibus, quòd habeant remissionem peccatorum. Etsi autem hoc loco non fit expressa mentio fidei, tanquam necessariæ ad consequendum remissionem peccatorum: tamen illa synecdochicè intelligenda est in vocabulo *resipiscentiæ*, & expressa ejus mentio fit Act.19.4. ubi Paulus ait, *Iohannes quidem baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo ut in eum qui venturus erat post*
νλ. *ipsum, crederent, hoc est in Christum Jesum*. Nec verò putandum est, baptismum Johannis à baptismo Christi fuisse diversum: quum utriusque idem fuerit finis seu scopus, & unus idemque ritus. nam ut Johannes baptizavit aquâ in flumine Iordane, item in Ænon prope Salim: sic baptizabat & Christus: quanquam non sua manu, sed manu discipulorum: Iohan.3.22.23.& 4.1.2. Et ut Iohannes baptizavit peccata confitentes & fidem Christi profitentes, in remissionem peccatorum per Christum, tanquam agnum illum Dei, qui tollit peccatum mundi: ita baptizarunt quoque ex Christi mandato Apostoli, aliique Evangelii præcones: ut videre est Actor.3.38. ubi Petrus

ait

ait Iudæis qui Christum crucifixerant: *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Et cap. 8. v. 36. 37. 38. ubi Philippus Evangelista, id est, Evangelii præco, eunuchum Æthiopem non priùs baptizat quàm ille profiteretur suam fidem in Christum.

Ex eodem versu. Non rectè colligitur ex verbis Marci, *Prædicabat baptismum in remissionem peccatorum*: Baptismum conferre remissionem peccatorum ex opere operato. Etsi enim Papistæ id non colligunt ex his verbis: tamen colligunt ex verbis similibus Actor. 3. 38. *Baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum.* At verba illa, *In remissionem peccatorum*, non valere, Ad consequendam remissionem peccatorum per hoc opus: judicari potest ex eo, quòd Scriptura passim tradit, hominem adultum (de qualibus in illis dictis sermo est) non consequi remissionem peccatorum aliter quàm per fidem in Christum. Non igitur per opus baptismi. Item ex eo quòd adultum baptizare non est fas, nisi is profiteatur fidem in Christum, ac proinde statuatur eum jam per fidem habere remissionem peccatorum. Non igitur statui potest, quòd illam demum adipiscatur per opus Baptismi. Necesse est igitur illa verba aliter exponi. Non potest autem afferri melior expositio quàm quæ petitur à natura sacramentorum: quæ constat esse sigilla justitiæ fidei, Rom. 4. 11. Quare quum dicitur, homines baptizari in remissionem peccatorum, nihil aliud significatur, quàm eos baptizari in hunc finem, ut habeant divinum testimonium remissionis peccatorum, nempe peccata sibi esse remissa propter satisfactionem Christi, cujus sanguis effusus est pro electis in remissionem peccatorum, & purgat credentes ab omni peccato.

ens. *Bellarminus lib. 2. de Sacramentis cap. 3.*

Ex v. 5. Malè hunc locum detorquet Bellarminus ad stabiliendũ confessionem illam Papistarum auricularem, quam ipse facit tertiam partem Pœnitentiæ, tanquam sacramenti. Sic autem argutatur. Sicut Baptismus Iohannis (inquit) figura fuit baptismi Christi: ita quoque & confessio quæ Iohanni fiebat, figura fuit confessionis quæ

ens. „ *De sacramento pœnitentiæ, lib. 3. cap. 3.*

Christi ministris facienda erat. Intelligit autem confessionem omnium peccatorum mortalium [a], item enumerationem omnium peccatorum, quæ post examen animo occurrunt [b]. At duo hîc falsa assumit: unum, quòd baptismus Johannis fuerit figura baptismi Christi: quippe quū fuerit idem cum illo: ut antea à nobis demonstratum est. Alterum, quòd auditores Johannis confessi sint in specie omnia peccata mortalia à se admissa, quæ quidem post examen animo occurrebant. At hæc glossa Bellarmini est, nullâ probatione subnixa. Nam potuerunt isti confiteri peccata sua, etiamsi non confiterentur omnia quæ animo occurrebant. Poterant enim cōfiteri peccata publicè jam nota: etsi non confiterentur peccata occulta, quorum confessionem vel Johannem exegisse, vel ipsos ultrò edidisse, quis certò affirmet? Imò nequaquam probabile est, Johannem exegisse confessionem publicam (talem enim illi edebant) scelerum occultorum: quum illa confessio ad scandalum potiùs, quàm ad edificationē populi faceret. Et denique confessio facta Johanni, confessioni quæ fit sacerdoti Papistico, valde dissimilis est: ut illa pro hujus figura haberi jure non possit. Etenim Johanni confitebantur palàm audiente populo: at Sacerdoti confitentur clàm in aurem.

[a] *Ejusd. lib. cap. 2.*

[b] *Ejusd. lib. cap. 1.*

Sic. Ex v. 6. Ex vestitu & victu Johannis elucet sapientia Dei in electis adducendis ad salutem. Voluit enim Deus singulari illâ austeritate vitæ Johannis à se missi expergefacere electos in populo suo, ut ad doctrinam Johannis eò magis attenderent, illiq; crederent. Deinde autem voluit ut Christus familiariter atque humaniter inter ipsos versaretur, ut illos secum retineret. Hinc Christus Judæis incredulis exprobrat Matt. 11. 16. & seq. quòd hanc Dei sapientiam non agnoverint: & contrà laudat credentes quòd agnoverint, inquiens: *Sed justificata est sapientia à filiis suis.* Usus hujus doctrinæ est: ut sive nobis contingat concionator severus, sive blandus & humanus: statuamus Deum pro sua sapientia illis uti ad nostram salutem: ac proinde & severitatem concionatorum æquo animo toleremus, & humanitatem non contemnamus.

Sic.

Ex

Ex v. 7. Ex iſta comparatione Johannis cum Chriſto percipitur, hunc ab illo habitum non pro nudo homine, ſed pro vero Deo: quippe quum nullus nudus homo alteri in tantum præcellat, ut ille non ſit dignus qui ei præſtet officia ſervilia: quale erat apud Judæos, incurvatum ſolvere corrigiam ſolearum. Quare nobis quoque pro vero Deo Chriſtus habendus eſt: quum Johannes fuerit à Deo miſſus ut teſtaretur de Chriſto, Johan. 1. 6. 7. *Vide.*

Ex eodem verſu. Quum Chriſtum non puduerit ſequi Johannem inſtar diſcipuli (id enim ſignificari videtur illis verbis, ὀπίσω μου ἔρχεται, ponè me venit) nec nos pudeat diſcere à miniſtris verbi illis quos donis ſpiritualibus antecellimus. *Vide.*

Ex v. 8. Diſtinctæ ſunt actiones miniſtri & Chriſti in adminiſtratione ſacramentorum. Miniſter adminiſtrat res externas, puta in Baptiſmo aquam, in Cæna Domini panem & vinum: ſed Chriſtus in animis credentium operatur per Spiritum ſanctum, confirmans ſcilicet fidem, atque ita per fidem fruenda illis dans bona ſpiritualia per res externas ſignificata, nempe remiſſionem peccatorum & vitam æternam. *Vide.*

Ex verſ. 9. Quòd Chriſtus utriuſque Teſtamenti Sacramenta percepit: puta, quòd circumciſus fuit, quòd edit agnum paſchalem, quòd fuit baptizatus, quòd edit ſacram cænam: videtur feciſſe ut ſignificaret, ſe cum utriuſque Teſtamenti electis communionem habere velle. Interim tenendum, Chriſtum non uſum ſacramentis ut ſacramentis: quippe quum purus fuerit à peccatis, ac proinde non opus habuerit teſtimoniis divinis remiſſionis peccatorum: ſed uſus eſt illis ob alium finem, nempe (ut modò dictum) ad teſtandum ſuam cum electis communionem in regno cælorum. Deinde ſpeciales quoque fines fuerunt propter quos ſacramenta veteris Teſtamenti percipere voluerit. nam circumciſus fuit, tum ut obediret legi de circumciſione, tanquam puer Hebræus & filius Abrahæ: tum ut per circumciſionis ſuſceptionem ſe obſtringeret reliquis Dei legibus populo Judaico datis: ac proinde agnum quoque paſchalem edit, ut debitam *Vide.*

παρ. Legi obedientiam præstaret. Usus illius doctrinæ est nostra consolatio. Quid enim beatius quàm habere communionem cum Christo? hinc certè Johannes beatitudinem Christianorum describit 1. Johan. 1. 3. Et Christus ipse beatitudinis privationem significans, dicebat Petro: *Nisi lavero te: non habes partem mecum*, Joh. 13. 8.

παιδ. Ex v. 10. & 11. Quum Christus unctus sit Spiritu sancto à Deo Patre in doctorem, summum sacerdotem & regem Ecclesiæ: est igitur nobis audiendus. Confer Matth. 17. 5. ubi ad testimonium illud Patris de Christo, additur præceptum: *Ipsum audite.*

διδ. Ex v. 10. Quòd Spiritus sanctus gratiosam suam præsentiam atque efficaciam in Jesu declaravit per descensum columbæ super illum: eo symbolo videtur significasse, se directurum animam Christi ad singularem mansuetudinem: qualis cernitur in columba. Et sanè mansuetudinem suam eximiam abundè testatam fecit Christus sanando ægrotos opem ipsius implorantes, humanissimè versando cum peccatoribus, annuntiando remissionem peccatorum resipiscentibus, amantissimè ad se invitando sentientes onus peccati, eisq; requiem promittendo. Quam ipsam mansuetudinem Christi dulcissimis verbis describit Esaias cap. 42. quem locum ad eam ipsam confirmandam adducit Matthæus cap. 12. v. 18. & seq. ubi inter alia dicitur, *Non litigabit, neque clamabit, neque audiet quisquam in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Usus hujus doctrinæ est consolatio nostra contra conscientiam peccatorum: ut scilicet quum conscientia nos accusat, confugiamus ad Christum & opem ipsius imploremus; certò confisi, ipsum pro sua mansuetudine nos non repulsurum, sed nobis opitulaturum.

παρ.

διδ. Ex v. 10. & 11. Notandum illustre testimonium de tribus personis divinis, Deo Patre, Filio & Spiritu sancto. Etenim Dei patris vox audita est è cælo sonans, ac testimonium Filio, Domino nostro Jesu Christo perhibens: Filius in assumpta carne stetit in Jordane nudus: Spiritus sanctus in specie columbę è cęlo descendit super Christũ.

Ex

Exv. 11. Quum Deus acquieſcat in Chriſto tanquam filio ſuo dilecto: conſequens eſt placere ei omnes qui Chriſto per fidem conjunguntur. unde Paulus ait Eph. 1. quòd *Deus nos fecerit gratioſos*, (ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς) *in illo dilecto*. Hoc facit ad noſtram qui in Chriſtum credimus, conſolationem. 818. 819.

Exv. 12. Spiritus ſanctus impellere conſuevit ſervos Dei ad res eximias gerendas. ut hoc loco impulit Chriſtum ut iret in deſertum, ibique diſputans cum diabolo, illum vinceret. Sic Stephanus πρωτομάρτυρ Spiritu ſancto plenus, acerrimè objurgare auſus fuit impios ſacerdotes coram quibus cauſam dicebat, Actor. 7. Et qui cum illo altercabantur è ſynagogis diverſis, non potuerunt reſiſtere ſapientiæ & Spiritui per quem loquebatur, Act. 6. 9. 10. Sic Elias ſpiritu Dei confirmatus, auſus fuit ſeſe oſtendere regi Achab, quum non ignoraret ſe ab illo quæri ad necem: eundemque liberrimè objurgare: nec non populum propter idololatriam Baalis reprehendere, miraculo cum prophetis Baalis ſpondere, & convictos jugulare, 1. Reg. 18. Sic Sampſon ſpiritu Dei correptus leonem inermis diſcidit; Aſcalonitas invadens, triginta ex eis viros occîdit; agros Philiſtæorum incendit, mille Philiſtæos maxillâ aſini interfecit, denique ædem dejecit, ac Philiſtæos oppreſſit: Jud. 14. & 15. 818.

Quid præterea diſcendum ſit ex hiſtoria tentationis Chriſti, vide in Obſervationibus noſtris ex capite 4. Matthæi. Unum tantùm hîc præterea conſiderandum eſt, quod Matthæus non attingit: nempe quòd Chriſtus verſatus fuit cum feris. Hinc enim admonemur de ſtatu integritatis, qualis in homine fuit ante lapſum, dum adhuc eſſet præditus perfecta imagine Dei. Nam quòd feræ Chriſtum non ſunt adortæ, in cauſa videtur fuiſſe quòd in illo agnoſcerent perfectam Dei imaginem, ac proinde ipſum revererentur ut dominum ſuum. quemadmodum revererentur Adamum ante lapſum, quum ad illum adductæ eſſent à Deo, ut videret quænam illis nomina imponeret. Danieli quoque in foveam conjecto peperſerunt leones: verùm iſtud non ſponte naturæ, ſed divino 819.

miraculo factum fuit, Angelo occludente ora leonum, ne illum læderent. Dan. 6. 23.

sic. Ex v. 14. 15. Jesus est Christus: quia in eo impleta est prophetia Esaiæ cap. 9. de exhilaratione Galilæorum per prædicationem Evangelii. Confer Matth. 4.

sic. Ex iisdem versibus. Christus est Propheta, missus à Deo ad prædicandum Evangelium apud Judæos. juxta illud, *Non sum missus nisi ad oves perditas Israel.* Item illud, *In viam gentium ne abieritis.*

sic. Ex iisd. versib. Evangelium est doctrina de regno Dei, docens scilicet quid nobis facto sit opus, ut in possessionē regni Dei perveniamus, nimirum resipiscentiâ & fide.

sic. Ex v. 15. Fides non est pœnitentiæ pars. Alioquin sequereretur in sermone hoc Domini esse ἀδολεσχίαν, quum dicit, *Resipiscite & credite Evangelio.* Sed est pœnitentiæ adjunctum, necessarium ad ipsam reddendam salutarem. Nisi enim ad pœnitentiam accesserit fides, necesse est pœnitentem de gratia Dei desperare: ut videmus accidisse Judæ Iscariotæ.

sic. Ex v. 16. & sequentibus. Christi deitas perspicitur ex eo quòd vocat efficaciter, ita scilicet ut quos externè vocat quibúsve imperat, iis (si velit) internè persuadeat, ut imperanti obediant. Sicut clarè videmus in vocatione quatuor illorum discipulorum.

sic. Ex iisdem versibus. Exemplo quatuor illorum discipulorum debemus promptè obedire vocanti Deo: sive is vocet ad communionem regni cælestis, sive ad ministerium Ecclesiæ. quorum illud ordinariè facit per Evangelii prædicationem: istud verò per declarationem judicii ac voluntatis Ecclesiæ.

sic. Ex v. 21. Exemplo Jesu doctores & pastores Ecclesiæ temporibus destinatis sedulí sint in docendo. Exemplo autem Capernaitarum populus frequens conveniat ad verbum Dei audiendum.

sic. Ex vers. 22. Quum videmus doctorem aliquem cum singulari authoritate docere verbum Dei: agnoscamus illum divinitus excitatum esse, & tanto Dei munere reverenter utamur.

Ex

Ex v. 23. & seq. Sicut Christus ejecit impuros spiritus è corporibus: ita sciamus eum ex animis quoque quasi ejicere diabolum, dum animos ab erroribus de cultu Dei & pravis concupiscentiis, tanquam effectis illius expurgat. ℣.

Ex v. 24. Ad salutem non sufficit fides historica, qua quis credit Jesum esse Christum: quia dæmonia quoque (ut hîc videmus) id credunt, sed nō propterea beati sunt. quippe quum illum tanquam judicem suum exhorrescant. Confer Jacob. 2. Sed insuper opus est, ut unusquisque nostrûm credat, Jesum sibi non minùs quàm aliis ordinatum esse in servatorem: quippe quum in servatorem ordinatus sit omnibus respicientibus & gratiam ipsius expetentibus. Secundùm illud Matt. 11. *Venite ad me omnes, &c. & invenietis requiem animabus vestris.* ℣. ℣.

Ex v. 25. Veritas non est quærenda à diabolo: quia etsi interdum verum dicit, tamen mendax est & sæpissimè mentitur: unde periculum est ne nos mendaciis suis decipiat. Huc pertinet illud: *Nolite veritatem quærere à mortuis.* ℣.

Ex v. 27. Miraculorum verorum usus est ut nos excitent ad considerandum doctrinam quam doctor qui miracula edidit, proponit. Sicut hîc videmus; Capernaitas, conspecto miraculo ejecti dæmonii, quærere de qualitate doctrinæ Christi. Interim doctrinæ veritas non est æstimanda ex ipsis miraculis: quia Deus interdum populum suum per miracula ad falsam doctrinam confirmandam adhibita tentat, ut habetur Deut. 13. Sed doctrina examinanda est ad regulam verbi Dei, & tum demum recipienda, si cum illa regula consentiat, juxta illud Esa. 8. v. 19. 20. *Nonne populus Deum suum consulturus est? Pro viventibus mortuos consulat?* Legem *& contestationem* consulunto. ℣.

Ex parte sexta & septima. Sicut Christus sanavit morbos corporis: ita sciamus, eum sanare quoque morbos animi, dum illum ab erroribus & pravis concupiscentiis expurgat, & verâ Dei cognitione ac dilectione donat. Hinc ipse se medico comparabat, dicens Pharisæis: *Qui* ℣.

valent, non opus habent medico: sed qui ægrotant. Non veni, vocarem justos, sed peccatores ad resipiscentiam. Hinc apud Malachiam nominatur *sol justitiæ, in cujus alis sanitas sive curatio sit*, Malach. 4. v. 2. vel secundum novam distinctionem cap. 3. v. 20. Et Petrus ait, *nos vibicibus ejus sanatos esse*, 1. Pet. 2. 24. Sanat autem duobus modis: merito & efficacia. Nam & promeritus est nobis suâ passione remissionem peccatorum, & per Spiritum sanctum peccatum in nobis mortificat, & studium justitiæ viresque piè vivendi infundit.

ἄλ. Ex vers. 30. Petrus quantumvis maritus, non tamen à Domino indignus habitus est ministerio verbi. Et idem fungens jam apostolatu post Domini ascensionem, uxorem secum circumduxit, sicut & reliqui Apostoli, excepto Paulo, 1. Cor. 9. v. 5. Perversè igitur à ministris verbi cælibatum postulat Papa. Estque ista doctrina dæmoniorum, 1. Tim. 4. v. 1. 3.

παῤῥ. Ex v. 35. Exemplo Christi doctores Ecclesiæ quærant secessum ad precandum, ut obtineant à Deo facultatem rectè & cum fructu fungendi suo munere.

διδ. Ex eod. vers. Christus verus homo est: quia Deum adoravit.

παῤῥ. Ex v. 27. Exemplo Capernaitarum, si gustum percepimus veritatis cælestis, studeamus in illius cognitione proficere. Etenim Capernaitæ quum Christum semel docentem audivissent, ita accensi fuerunt studio doctrinam ejus pleniùs cognoscendi, ut postridie eum omnes quæsiverint.

παῤῥ. Ex. v. 38. & 39. Exemplo Christi pastores Ecclesiæ assidui sint in auditoribus suis docendis.

διδ. Ex v. 40. & sequentibus. Sicut Christus purgavit lepram corporis: ita sciamus eum purgare quoque lepram animi (id est, peccatum inhærens) dum expurgat illum erroribus & pravis concupiscentiis: id quod facit per prædicationem verbi Dei & operationem Spiritus sancti.

παῤῥ. Ex v. 44. Etsi veritas nunquam est neganda: tamen exemplo Christi prudenter dispiciendum est doctoribus verbi, quo tempore quidque in lucem proferant. Videmus

mus enim Christum noluisse statim divulgari, quòd ipse purgasset leprosum illum. Sic noluit ante resurrectionem suam palàm dici, quòd ipse esset Christus: ut videmus suprà v. 25. & 34. item Matth. 17. v. 9.

Ex eodem versu. Christus Legem Dei accuratè observavit, & aliis observandam præcepit: ut esset sanctus sacerdos & sancta victima ad expiandum nostra peccata. διδ.

Ex eodem versu. Mirabili Dei providentiâ reprobi sæpe aliud agentes testimonium dant veritati, atque ita sibi ipsi excusationem repudiatæ veritatis adimunt. Etenim sacerdotes Hierosolymitani puros à lepra pronuntiabant eos quos Jesus solo verbo à lepra purgaverat: quo ipso testatum faciebant, Jesum esse Deum: quod tamen ipsi docenti nolebant credere. διδ.

Ex v. 45. Quæritur an rectè fecerit leprosus ille quòd curationem sui miraculosam statim divulgavit, Jesumque illius authorem patefecit? Respondeo. Non rectè fecit: quia interdictum ei fuerat à Christo. Neque illum excusat προαίρεσις seu propositum, quòd voluit gratiam hoc modo referre benefactori. Nam regula boni operis non est hominis intentio, sed mandatum Dei. Interim bona quoque intentio requiritur, ut scilicet dirigatur opus ad gloriam Dei & proximi utilitatem. απ. λύσ.

ANALYSIS CAP. II.

Argumentum.

Quatuor sunt hujus capitis partes 1. de sanatione cujusdam paralytici in urbe Capernaüm. 2. de vocatione Levis qui aliâs Matthæus. 3. de defensione sui & discipulorum, contra criminationem discipulorum Johannis propter omissionem jejunii. 4. de defensione discipulorum contra criminationem Pharisæorum propter evulsas in sabbatho spicas.

Prima pars.

De sanatione cujusdam paralytici in urbe Capernaüm.

ET *rursus intravit Capernaüm interjectis* aliquot *diebus, & auditum est eum domi esse.*

2 *Statimq; congregati sunt multi*, adeò *ut jam non caperent* cos *ne ea quidem* loca *quæ* erant *ad ostium. & loquebatur eis sermonem.*

3 *Tunc veniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.*

4 *Et quum non possent ei appropinquare propter turbam, detexerunt tectum* ædium *in quibus erat; eoq; perfosso, funibus demiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat.*

5 *Quum autem vidisset Jesus fidem eorum, dixit paralytico; Fili, remissa sunt tibi peccata tua.*

6 *Erant autem illic quidam ex Scribis sedentes, & ratiocinantes in cordibus suis;*

7 *Quid iste ita loquitur blasphemias? quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?*

8 *Et quum statim cognovisset Jesus spiritu suo, eos ita ratiocinari apud se, dixit eis; Quid ista ratiocinamini in cordibus vestris?*

9 *Utrum est facilius; dicere paralytico, Remissa sunt tibi peccata: an dicere, Surge, & tolle grabatum tuum, & ambula?*

10 *Ut autem sciatis, Filium hominis habere potestatem remittendi peccata in terra; ait paralytico,*

11 *Tibi dico, surge, ac tolle grabatum tuum, & abi domum tuam.*

12 *Tunc* ille *statim surrexit: sublatoq; grabato, egressus est coram omnibus: adeò ut obstupescerent omnes, & glorificarent Deum dicentes, Nunquam tale quicquam vidimus.*

Primùm notatur sanationis hujus *tempus*, nempe quum Jesus interjectis aliquot diebus quibus scilicet in locis desertis latitans nonnihil respiraverat, rursus intravisset in urbem Capernaüm. Deinde indicatur *locus* specialis ubi sanatio illa peracta est, nempe in domo in qua Jesus habitabat. Tertiò indicantur *spectatores* seu *testes*, videl. Capernaitæ ad ostium domus congregati: quæ congregatio amplificatur ab adjūcta multitudine, v. 2. Quartò indicatur *tempus speciale*, quo sanatio illa accidit, videl. quum Jesus Capernaitas ad domum suam congregatos doceret, quo significatur hanc illius prædicationem sanatione illa paralytici fuisse obsignatam. Quintò indicatur

causa

causa procatarctica, quæ Jesum ad paralyticum illum sanandum movit: videl. petitio tum ipsius paralytici tum eorum qui illũ ferebant, petitio inquam profecta ex fide, qua Jesum habebant pro Christo. Petitio illa significatur per actiones eorum qui paralyticum offerebant: quarum prima est apportatio illius jacentis in grabato, v. 3. Hæc actio amplificatur à causa corrumpente, videl. turba ostium occupante atq; ita aditum illis intercludente. Secunda actio qua remedium contra illud obstaculum quæsiverunt, fuit apertio atque perfossio tecti. Tertia, demissio paralytici in grabato per apertum tectum, in conspectum Jesu, v. 4. Sextò narratur *præparatio* qua Jesus paralyticum ad sanationem præparavit. Ea fuit quòd remisit ei peccata, v. 5. ubi causa impulsiva istius facti exprimitur, nempe fides illorum: hoc est, tum ipsius paralytici tum eorum qui illum obtulerant sanandum: v. 5. Hoc autem factum declaratur deinceps ex eventu, nempe tacita damnatione Jesu tanquam blasphemi à Scribis quibusdam, v. 6. & 7. Quæ ipsa damnatio declaratur è suo eventu, videlicet defensione Jesu qua se à crimine blasphemiæ vindicat, v. 8. 9. 10. Defensionis argumentum ducit à pari, ad hunc modum:

Si habeo potestatem, atq; etiam potentiam paralyticum sanandi: habeo etiam potestatem remittendi ei peccata.

Atqui potestatem illam atq; potentiam habeo.

Ergo hanc quoque potestatem habeo.

Loco propositionis ponitur ejus ratio v. 9. Significat enim duas illas potestates esse pares: ac proinde ad unum eundemq; pertinere, videlicet ad solum Deum. Conclusio succedit v. 10. Assumptionis sententia attingitur in illius versus fine, ubi dicitur: *Ait paralytico.* Cæterùm loco assumptionis ponitur ejus probatio, nempe ipsa sanatio paralytici per nudum imperium, v. 11. & 12. Quod jam est septimum institutæ narrationis membrum principale, videl. *ipse modus agendi*, seu ipsa sanationis *forma* miraculosa, constans scilicet solo verbo seu imperio. Tria autem paralytico imperat, ut patet v. 11. Quæ singula quoque ille peregit, ut patet v. 12. Octavò & postremò adjicitur

rei gestæ *eventus*, nempe admiratio spectatorum & glorificatio Dei.

SECUNDA PARS.

De vocatione Levis qui aliâs Matthæus.

13 *Et egressus est rursus ad mare: totaq; turba veniebat ad eum, ac docebat eos.*

14 *Et quum prætergrederetur, vidit Levin Alphæi* filium, *sedentem ad telonium: dixitq; ei, Sequere me. Et* is *surgens sequutus est eum.*

15 *Et factum est quum Jesus accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu & discipulis eius: erant enim multi, & sequuti fuerant eum.*

16 *Quumq; Scribæ ac Pharisæi vidissent eum edentem cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis ejus, Quid* est *quòd cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit?*

17 *Et quum* hoc *audisset Jesus, dicit eis; Iis qui valent non opus est medico, sed iis qui malè affecti sunt. non veni ut vocarem justos, sed peccatores, ad resipiscentiam.*

Primùm narratur vocationis hujus *occasio*: quòd scilicet occasionem Christo ad vocandum Levim præbuerit conspectus illius, quum à mari in urbem rediens ac telonium prætergrediens, illum ibi sedentem conspexit, v. 13. & 14. Deinde *vocatio ipsa*, constans uno verbo, *Sequere me*: v. eod. Tum vocationis *eventus* duplex: prior, obedientia vocati: ibid. Posterior, relatio gratiæ pro vocationis beneficio, v. 15. videlicet quòd Jesum excepit convivio. Convivium illud describitur partim ex adjunctis convivis, partim ex eventu. Convivæ indicantur duorum generum: alii sancti, nempe Jesus & discipuli: alii profani, nempe publicani & peccatores: quo vocabulo hîc intelliguntur homines ethnici seu gentiles, à vera religione alieni. Horum indicatio amplificatur ab adjuncta multitudine: & ab occasione qua fuerunt ad convivium illud adhibiti, nempe quia Jesum ad Levim divertentem fuerant sequuti. Eventus convivii istius fuit, quòd Scribæ & Pharisæi Jesum eo nomine apud discipulos ipsius criminati sunt, quòd ederet ac biberet cum publicanis & peccatoribus

ribus, v. 16. Hæc autem criminatio declaratur è suo eventu, videlicet defensione seu apologia Jesu, qua sese contra illam criminationem defendit, ostendens se rectè & ex officio facere, quòd cum istiusmodi hominibus versaretur ad eum scilicet modum quo cum eis versabatur, videl. cum proposito vocandi eos ad resipiscentiam. Defendit igitur factum suum à fine seu scopo agendi:

Si versor cum illis ut eos vocem ad resipiscentiam, atque ita salvos faciam: rectè facio, quia ad hoc ipsum vêni ac missus sum à Deo ut peccatores ad resipiscentiam vocem: ac proinde hoc meum est officium.

Atqui versor cum illis cum tali proposito.

Ergo rectè facio.

Loco propositionis ponitur illius ratio, amplificata antitheſi qua perstringit vanam accusatorum suorum persuasionem de propria justitia, dicens, *Non vêni ut vocarem justos* &c. Et hæc ipsa sententia illustratur simili, qua se comparat medico, peccatores ægrotis: significans, ficut medici officium est invisere & curare ægrotos, ita officium suum esse invisere & curare peccatores. Quæ ipsa quoque sententia amplificata est antitheſi, qua falsam accusatorum de seipsis persuasionem perstringit, quasi scilicet ipsi valerent spiritualiter, hoc est, justi & sancti essent.

TERTIA PARS.

De defensione sui & discipulorum contra criminationem discipulorum Johannis propter omissionem jejunii.

18 *Discipuli autem Johannis ac Pharisæorum jejunabant: veniunt igitur & dicunt ei, Quare discipuli Johannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?*

19 *Tunc ait eis Jesus, Num possunt filii thalami quo* tempore *cum ipsis est sponsus*, jejunare? *quandiu habent secum sponsum, non possunt jejunare.*

20 *Aderunt autem dies quum tolletur ab eis sponsus; & tunc jejunabunt, illis diebus.*

21 *Sed nemo panniculum impexum insuit vestimento veteri?*

alioquin, illud ipsius supplementum novum detrahit aliquid *ex vetere* vestimento, *& fit pejor fissura.*

22 *Et nemo indit vinum novum in utres veteres : alioquin vinum novum disrumpit utres, & vinum effunditur, & utres pereunt : sed vinum novum in utres recentes indendum est.*

Primùm innuitur criminationis *occasio*, quòd scilicet discipuli Johannis viderent, discipulos Jesu non jejunare : quum tamen jejunarent ipsi & discipuli Pharisæorum. Deinde recitatur *criminatio ipsa*, quæ nititur argumento à pari, videl. exemplo discipulorum Johannis & Pharisæorum. Sententia igitur est:

Si discipuli Johannis & Pharisæorum jejunant, *tui quoq; discipuli debebant* jejunare.

Sed illi jejunant.

Ergo.

Tertiò subjungitur defensio seu *apologia Christi*; qua, unâ eâdemque operâ, & connexum illud refutat, & contrarium demonstrat : ostendens dissimilitudinem in exemplo, quum non sit par conditio sive status discipulorum suorum qui erat illorum : & ex illa ipsa discipulorum suorum conditione, tanquam causa procreante, argumentum ducens ad defendendum factum discipulorum. Est autem argumentum illud geminum : nam conditionem discipulorum declarat partim ex subjecto occupante, quum ait, illos nunc secum habere sponsum : partim ex adjuncto inhærente, quatenus significat animos eorum adhuc esse rudes ac infirmos, id quod significat per duas similitudines : unam vestimenti veteris, v. 21. alteram utrium veterum, v. 22. Sic igitur argumentatur Christus :

Si discipuli mei nunc secum habent sponsum, non debent jejunare.

At habent nunc secum sponsum, videlicet me.

Non igitur debent jejunare.

Loco propositionis ponitur ejus ratio, à genere ducta : quæ continetur sententiâ generali sive gnomâ de conditione & affectu convivarum nuptialium, v. 19. ubi ait, *Num possunt filii thalami* &c. Assumptio innuitur à contrario

contrario v. 20. ubi ait, *Aderunt autem dies quum tolletur ab eis sponsus.* Conclusio similiter à contrario significatur, ibidem, ubi ait: *Et tunc jejunabunt.* quasi dicat, Non autem nunc. Unde percipitur, assumptionem amplificari antithesi status futuri tristis, quem hac occasione prædicit, intelligens abreptionem sui ad supplicium quæ discipulis mœrorem gravissimum allatura erat. Quem mœrorem συνεκδοχικῶς & per ἀνταναίκλασιν jejunium appellat, quum ait, *Et tunc jejunabunt*: intelligens non tale jejunium de quo mota erat quæstio, videlicet quale erat jejunium discipulorum Johannis & Pharisæorum, sponte & consultò susceptum religionis causâ, ut nimirum eò ardentiùs possent incumbere precibus, vel etiam ut illo ipso opere tanquam per se bono Deum colerent: sed jejunium cujus necessitatem discipulis præter ipsorum propositum allaturus erat tristis ipsorum status. Atq; hoc est primum defensionis argumentum, quod præcipuè pertinet ad discipulos. Alterum verò argumentum spectat principaliter ad defensionem sui: ostendit enim se rectè & sapienter facere quòd discipulis non imponat aut præcipiat jejunium, sed indulgentiùs eos habeat ac tractet: quia scilicet se accommodet ipsorum captui, qui rigidioris disciplinæ non sint capaces propter infirmitatem seu ruditatem animorum: quam duplici simili innuit. In hanc autem sententiam argumentatur:

Si insipienter agit qui panniculum impexum insuit vestimento veteri, item qui vinum novum indit utribus veteribus: ego quoque insipienter agerem, si discipulis meis imponerem jejunium.

Sed verum est prius.

Ergo & posterius. Et per consequens, non debeo discipulis meis imponere jejunium.

Propositionis veritas pendet à similitudine discipulorum quam habebent cum vestimento veteri & utribus veteribus. Sicut enim illa sunt tenera atque infirma, ita ut facilè rumpantur ac scindantur: sic animi discipulorum tum erant teneri & infirmi, ita ut rigidiore disciplinâ facilè fuissent offensi ac læsi. Assumptionis sententia

continetur ibi, *Nemo* (intellige, nemo ſapiens) *panniculum impexum inſuit veſtimento veteri.* Item: *Nemo* (intellige rurſum, Nemo ſapiens) *indit vinum novum in utres veteres.* Hæc ſententia confirmatur ab effectu detrimentoſo: quia ſi quis contrà faceret, perderet veſtimentum & utres atque etiam vinum. Sapiens autem non eſt qui non prævidet ac præcavet damnum ex actione ſua eventurum.

QUARTA PARS.

De defenſione diſcipulorum contra criminationem Phariſæorum propter evulſas in ſabbatho ſpicas.

23 *Factum eſt autem ut præteriret ſabbatho per ſata; & cœperunt diſcipuli ejus iter faciendo vellere ſpicas.*

24 *Tunc Phariſæi dixerunt ei; Ecce, cur faciunt ſabbatho quod non licet?*

25 *Et ipſe dixit eis, Nunquam legiſtis quid fecerit David quum egeret & eſuriret, ipſe & qui cum eo erant:*

26 *Quomodo ingreſſus ſit domum Dei ſub Abiathar Pontifice maximo, & panes propoſitionis ederit: quos non licet edere niſi ſacerdotibus; & dederit etiam iis qui ſecum erant?*

27 *Dixit etiam eis: Sabbathum propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbathum.*

28 *Itaque filius hominis eſt etiam ſabbathi dominus.*

Primùm narratur *factum diſcipulorum* quod Phariſæi criminati ſunt, unâ cum ipſius occaſione, quòd ſcilicet occaſionem eis ad vellendum ſpicas præbuerit tranſitus per ſata, v. 23. Deinde recitatur *criminatio Phariſæorũ*, v. 24. Poſtremò *defenſio Chriſti*, verſibus reliquis. Defenſio autem illa conſtat tribus argumentis: quarũ primum ſumptum eſt *ab exemplo Davidis* per ratiocinationem à pari, v. 25. & 26. Secundum *à fine ſabbathi*, ſeu cauſa propter quam Deus ſabbathum inſtituit, v. 27. tertium *à poteſtate Chriſti*, v. 28. Primum argumentum ſic poteſt concludi.

Si David non peccavit, quòd quum eſuriret, nec aliis panibus potiri poſſet, edit panes ſacros: nec diſcipuli mei peccarunt quòd quum eſurirent, nec alio cibo potiri poſſent, vulſerunt ſpicas in ſabbatho.

Sed

Sed verum est antecedens.

Ergo & consequens.

Assumptio illustratur & confirmatur testimonio historiæ sacræ quæ exstat 1. Sam. 21. Loco propositionis indicatur ejus ratio, ubi dicitur de panibus illis sacris, *Quos non licet edere nisi sacerdotibus:* nempe extra casum necessitatis. Similiter enim non licebat in sabbatho vellere spicas, extra casum necessitatis. Si ergo Davidem excusavit necessitas, consequens est ut in simili casu discipulos quoq; necessitas excuset. Etenim illi non minùs esuriebant, & alio cibo potiri non poterant, quàm David. Secundum argumentum concludi potest ad hunc modum.

Si sabbathum propter hominem factum est, non peccat homo quum sabbatho ad suam necessitatem suive conservationem utitur.

At sabbathum propter hominem factum est.

Ergo.

Propositio omittitur: & veritas ejus clara est ex natura destinati & finis. Assumptio amplificatur antithesi per ἀνάπαλιν rhetoricam.

Tertii argumenti syllogismus hic est:

Si ego sum sabbathi dominus, ac proinde potestatem habeo agendi de sabbatho quod volo: licuit ergo mihi permittere discipulis meis ut in sabbatho vellerent spicas.

Atqui ego sum sabbathi dominus &c.

Ergo.

Propositio omittitur: & veritas ejus patet ex natura generis & speciei. Quæ enim de toto genere verè affirmantur, verè etiam affirmantur de qualibet ejus specie. Quare quum de generali potestate in sabbathum verè affirmetur, quòd pertineat ad Christum: consequens est ut etiam de potestate speciali, puta in permittenda evulsione spicarum, idem verè affirmetur. Assumptio deducitur ex argumento præcedente: quatenus in eo innuit, se (unâ scilicet cum Deo patre & Spiritu sancto) illum esse qui sabbathum instituit. unde jam deducit, se igitur habere potestatem in sabbathum. Atque hoc sibi vult conjunctio syllogistica ὥστε. Itaque. Cæterùm seipsum

ſignificat deſcriptione familiari, quũ ait, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Filius ille hominis.*

SCHOLIA IN CAP. II.

Interjectis aliquot *diebus.* δι' ἡμερῶν. Adverb. Per dies, Id eſt, poſt aliquot dies. Sed præpoſitio διὰ notat motum per ſpatium ſive intervallum temporis inter duos terminos interjectum. *Domi.* εἰς οἶκον. pro ἐν οἴκῳ.

2 *Ne ea quidem* loca *quæ* erant *ad oſtium.* μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. Subaudi μέρη: & rurſus ὄντα. Partes autem, ſcil. ſoli: id eſt, loca. *Sermonem.* τὸν λόγον. Scil. τὸν τῆς βασιλείας: id eſt regni: ut alibi nominatur: id eſt, Evangelium. Hoc notat articulus.

3 *Qui à quatuor portabatur.* αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων. Nempe à quatuor viris, portantibus decumbentem in lecto, apprehenſis quatuor lecti extremitatibus.

4 *Propter turbam.* Quæ occupaverat omnia loca domus, v. 2. *Detexerunt tectum.* Erant autem tecta domorũ in Judæa, plana: ut in eis poſſet ambulari. *Funibus demiſerunt.* χαλῶσι. Ad verb. Funibus demittunt. Enallage temporis.

7 *Niſi ſolus Deus.* εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. εἷς pro μόνος. Vel: niſi unus, *nempe* Deus: εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. Sicut Matth. 19. v. 17. οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός: Nemo eſt bonus niſi unus, *nempe* Deus.

8 *Spiritu ſuo.* τῷ πνεύματι αὐτοῦ. Id eſt, deitate ſua. Vel animo ſuo: ut ſit pleonaſmus qualis paulo antè v. 6. *Ratiocinantes in cordibus ſuis.*

12 *Adeò ut obſtupeſcerent.* ὥστε ἐξίστασθαι. Vel extra ſe raperentur.

14 *Levin.* Λευΐν. Aliâs Matthæum. Matth. 9. v. 9.

20 *Tunc jejunabunt, illis diebus.* Pleonaſmus Marco familiaris.

26 *Sub Abjathar Pontifice maximo.* ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως. Hic Abjathar aliâs dictus fuit Achimélech, 1. Sam. 21. v. 1. Sicut & filius ejus utrumque hoc nomen geſſit.

27 *Propter hominem.* διὰ τὸν ἄνθρωπον. Nempe ut ſerviat homini: ut homo in eo meditetur res cæleſtes, & vires recolligat. *Factum eſt.* ἐγένετο. Inſtitutum ſive ordinatum eſt: nempe à Deo.

28 *Itaque.*

28 *Itaq;. ὥστε.* Quia ſcil. ſabbathũ factum eſt à filio hominis, qui îdem eſt Deus unâ cum patre & Spiritu ſancto. *Filius hominis. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, ſeipſum intelligit. *Eſt etiam ſabbathi dominus.* Ac proinde poteſt eo uti pro ſuo arbitratu.

OBSERVATIONES EX CAP. II.

Ex v. 1. & 2. Exemplo Capernaitarum cupidè & magno numero nos congregari decet in ea loca ubi prædicari ſolet ſermo Evangelii: neque ullus decentior templorum ornatus eſt quàm ejuſmodi numeroſus & audiendi cupidus cœtus. *πανδ.*

Ex v. 3. & ſeq. Quid obſervandum ſit ex hiſtoria ſanati paralytici, indicavimus in Obſervationibus ex Matth. 9.

Ex v. 14. & ſequentibus. Quid ſit obſervandum ex hiſtoria vocationis Matthæi, diximus in Obſervationibus ex capite Matthæi modò citato.

Ex v. 18. & ſequentibus. Vide Obſervationes ex Matt. 9. v. 4. & ſeq.

Ex v. 23. & ſequentibus. Vide Obſervationes ex Matth. 12. v. 1. & ſequentibus.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Sex ſunt hujus capitis partes. 1. Quomodo Jeſus ſanaverit quendam qui habebat manum aridam. 2. Qualis & quanta multitudo hominũ Jeſum conſectata ſit. 3. Quos & quot deſignaverit Jeſus Apoſtolos. 4. Quid ei propter publicas illas actiones ſuas evenerit. 5. Quomodo ſe defenderit contra criminationẽ Scribarum, dicentium eum ejicere dæmonia per Beelzebub. 6. Quid reſponderit, quum inter docendum interpellaretur per cognatos.

PRIMA PARS.

De ſanato quodam qui habebat manum aridam.

ET introivit rurſus in ſynagogam: eratq; illic quidam arefactam manum habens:

2 *Et observabant an sabbatho sanaturus esset eum, ut ipsum accusarent.*

3 *Tunc ait homini habenti manum aresactam, Surge in medium.*

4 *Eis autem dixit, Licet sabbatho benefacere, an malefacere cuipiam? hominem servare, an trucidare? Ipsi verò silebant.*

5 *Et quum circumspexisset eos cum ira, condolescens quòd obcalluisset cor eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et is extendit: restitutaq; est manus ejus sana ut altera.*

6 *Tunc egressi Pharisæi, statim cum Herodianis consilium inierunt adversus eum, ut eum perderent.*

In describenda miraculosa hac sanatione indicatur primùm *locus* ubi illa accidit, videl. in quadam synagoga, v. 1. Deinde *occasio*, videlicet præsentia illius, qui manum aridam habebat, v. eod. Tertiò *adjunctæ insidiæ Pharisæorum*, v. 2. Quartò *præparatio ad sanationem*, quæ continet duas partes: mandatum ad illum malè affectum ut prodeat in totius congregationis conspectum, v. 3. & quæstionem dilemmaticam Pharisæis propositam de observatione sabbathi, v. 4. Quintò ipse *sanationis modus* in tribus membris consistens: intuitu irato Pharisæorum, (id est quo Jesus illos est intuitus) mandato ad hominem quem volebat sanare, & obedientia illius. Sextò indicatur *eventus* istius miraculi in Pharisæis, nempe consultatio de ipso perdendo, v. 6.

SECUNDA PARS.

De multitudine quæ Jesum consectata fuit.

7 *Sed Jesus cum discipulis suis secessit ad mare: & magna multitudo sequuta est eum à Galilæa, & à Judæa.*

8 *Et ab Hierosolymis, & ab Idumea, &* regione quæ est *trans Jordanem: & qui circa Tyrum ac Sidonem* habitabant, *magna multitudo, quum audissent quanta faceret, venerunt ad eum.*

9 *Ipse autem dixit discipulis ut navigiolum sibi semper adesset, propter turbam, ne ipsum opprimerent.*

10 *Multos enim sanaverat, adeò ut ruerent in eum ut ipsum tangerent quotquot tenebantur flagellis.*

11 *Et*

11 *Et ſpiritus impuri quum eum conſpexerant, accidebant ei* ad pedes, *& clamabant, dicentes, Tu es Filius ille Dei.*

12 *Ipſe verò multum interminabatur eis ne ipſum manifeſtum facerent.*

Primùm indicatur *locus quò multitudo illa Jeſum ſequuta fuit*, videl. ad mare: ſimulq; innuitur (per cohærentiam cum verſiculo præcedente) cauſa quæ Jeſum moverit ut ad mare ſecederet, nimirum inſidiæ Phariſæorum. v. 7. Deinde enumerantur *loca è quibus multitudo illa convenerat*, v. 7. & 8. Tertiò *cauſa quæ illos movit ad Jeſum ſequendum*, videl. quum audiſſent quanta faceret, in fine v. 8. Quartò *effectus illius conſectationis in Jeſu*, nempe quòd ſe contulit in navigiolum. Hic effectus declaratur è cauſa finali, nempe ne à turba opprimeretur, v. 9. Tum ille metus oppreſſionis declaratur è cauſa procreante, videl. impetu ruentium in eum ad ipſum tangendum, v. 10. Poſtremò narratur *quomodo ſe geſſerint ad Jeſu conſpectum ſpiritus impuri in obſeſſis*, v. 11. *& quid eis ille imperarit*, v. 12.

TERTIA PARS.

De deſignatione Apoſtolorum.

13 *Tunc aſcendit in montem, & advocavit ad ſe quos ipſe voluit: & venerunt ad eum.*

14 *Et conſtituit duodecim qui ſecum eſſent, & quos mitteret ut prædicarent:*

15 *Haberentq; poteſtatem ſanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.*

16 *Primùm Simonem,* (*cui impoſuit nomen Petrum:*)

17 *Et Jacobum* filium *Zebedæi, & Johannem fratrem Jacobi,* (*& impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filii tonitrui*)

18 *Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi* filium, *& Thaddæum, & Simonem Cananiten,*

19 *Et Judam Iſcariotem, qui & prodidit eum. venerunt q; domum.*

20 *Convenit autem rurſum turba, adeò ut ne* capere quidem *cibum poſſent.*

Primùm indicatur *locus* ubi hęc deſignatio facta eſt, videl. in monte. Deinde *præparatio*, videlicet ſevocatio à turba, v. 13. Tertiò *muneris Apoſtolici deſcriptio*, verſ. 14. & 15. Quartò recitantur *illorum nomina*, verſ. 16. 17. 18. & 19. Quintò annectitur, *quid eis evenerit*, quum domum veniſſent, videlicet interpellatio turbæ, v. 19. & 20.

QUARTA PARS.

De eventis actionum Jeſu.

21 *Et quum hæc audiſſent ipſius propinqui, venerunt ut prehenderent eum: dicebant enim eum apud ſe non eſſe.*

22 *Scribæ verò qui Hieroſolymis deſcenderant, dicebant eum habere Beelzebub, & per principem dæmoniorum ejicere dæmonia?*

Actionum Jeſu eventa *duo* hîc narrantur: *unum in propinquis, alterum in extremis*: quorum illi volebant eum tanquam mente captum prehendere: iſti verò, nempe Scribæ Hieroſolymitani, ejectiones dæmoniorum à Jeſu perfectas adſcribebant principi dæmoniorum.

QUINTA PARS.

De Jeſu contra criminationem Phariſæorum apologia.

23 *Quum autem eos advocaſſet, dixit eis per parabolas, Quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere?*

24 *Neque ſi regnum adverſus ſeſe diſſideat, poteſt ſtare regnum illud:*

25 *Neque ſi domus contra ſemetipſam diſſideat, poteſt ſtare domus illa.*

26 Sic *quoque ſi Satanas inſurrexit & diſſidet adverſus ſemetipſum, ſtare non poteſt, ſed finem habet.*

27 *Non poteſt quiſquam robuſti* alicujus *vaſa, ingreſſus domum ejus, diripere, niſi primò robuſtum illum vinxerit: & tunc domum ejus diripiet.*

28 *Amen dico vobis, Quævis peccata remittentur filiis hominum, & blaſphemiæ quibuſcunque blaſphemarint:*

29 *Sed quicunq; blaſphemarit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed tenetur æterno judicio.*

30 *Dicebant enim, Spiritum impurum habet.*

Sermonis

Sermonis hujus contra criminationem Phariſæorum detectam *membra* ſunt *duo*: apologia & recriminatio. *Apologia* duo continet argumenta. Primum à conſequente abſurdo, quòd ſcilicet Satanas velit regnum ſuum everti. Hoc argumentum ſic concluditur:

Si Satanas Satanam ejicit, vult everti regnum ſuum.

At non vult Satanas regnum ſuum everti.

Non igitur Satanas Satanam ejicit: & per conſequens, Ego non ejicio dæmonia per Beelzebub principem dæmoniorum.

Concluſio præcedit his verbis, *Quomodo poteſt Satanas Satanam ejicere?* Aſſumptio ut nota omittitur. Propoſitionis loco ſuccedit ejus approbatio, illuſtrata & confirmata duplici gnomâ proverbiali, ad hunc modum:

Si Satanas adverſus ſemetipſum diſſidet, vult everti regnum ſuum.

Atqui ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſemetipſum diſſidet.

Ergo ſi Satanas Satanam ejicit, vult everti regnum ſuum.

Propoſitio hujus ſyllogiſmi illuſtratur & confirmatur gnomâ proverbiali, nempe: *Si regnum aut domus adverſus ſeſe diſſidet, non poteſt ſtare.* Hęc confirmatio præcedit, v. 24. & 25. Deinde ſequitur ſyllogiſmi iſtius propoſitio, v. 26.

Secundum argumentum ductum eſt ab ejectionis modo ſeu forma, ſed tantùm notatum exemplo ſimili. Sententia autem illius plenè explicata, eſt hæc:

Si diabolum potentem ſpiritum ejicio invitum, præditus ſum potentia majore.

At ejicio invitum.

Ergo præditus ſum potentia majore: & per conſequens non eſt mihi opus ope diabali ad diabolum ejiciendum.

Propoſitionis loco ponitur ſententia generalis de re ſimili inter homines inter ſeſe dimicantes, v. 27. Aſſumptio ut nota omittitur. Clamabant enim dæmonia, conſpecto Jeſu: & rogabant eum ne ſeſe perderet ante tempus, item nonnulla petebant veniam invadendi porcos. Atque hęc de apologia.

Recriminatione arguit eos peccati in Spiritum ſanctum. & hoc peccatum amplificat ab effectu, videl. irremiſſibili-

tate, per collationem & antitheſin cæterorum peccatorũ, tanquam minorum ac remiſſibilium. Ad extremũ addit Evangeliſta probationem, quòd Phariſæi peccarint in Spiritum ſanctum. Illa probatio ſumpta eſt à definitione: quæ quidem breviter tantùm attingitur, non autem plenè exponitur. Significatur autem peccatum in Spiritum ſanctum eſſe ejuſmodi blaſphemiam qua quis veritatem cæleſtem de qua in mente ſua per Spiritum ſanctum convictus eſt, negat petulanter: & opera quæ intelligit profecta eſſe à Deo, diabolo adſcribit.

SEXTA PARS.

De reſponſo Jeſu quum interpellaretur inter docendum.

31 *Veniunt igitur fratres & mater ejus: & foris ſtantes, miſerunt ad eum, & eum vocarunt.*

32 *Sedebat autem circa eum turba.* illi *verò dixerunt ei; Ecce, mater tua & fratres tui foris quærunt te.*

33 *Tunc reſpondit eis, dicens, Quæ eſt mater mea, aut fratres mei?*

34 *Et quum circumſpexiſſet in circuitu circum ſe diſcipulos ſedentes; ait, Ecce mater mea & fratres mei.*

35 *Quicunque enim fecerit voluntatem Dei: is eſt frater meus, & ſoror mea, & mater.*

Primùm narratur *interpellatio* Jeſu docentis, v. 31. & 32. Deinde *reſponſum*, verſib. reliquis. Cæterùm reſponſum illud conſtat trib. membris: *interrogatione* indignabundâ, v. 33. *Subjectione* ad illam interrogationem, continente laudem diſcipulorum ipſum docentem attendentium, per elegantem antanaclaſin & metaphoram, v. 34. & *laudis illius ratione* à ſententia generali, v. ult.

SCHOLIA IN CAP. III.

4 *Hominem.* ψυχὴν. Ad verb. animam. Synecdoche membri Hebraica. Et rurſus, Hominem: id eſt, corpus hominis. Synecdoche integri. nam corpus propriè loquendo trucidatur: Matth. 10. v. 28. Ita concurrunt duo tropi contrarii in voce unica. Simile exemplum eſt illud

Pſal.

Psal. 16. Non derelinques animam meam in sepulchro.

6 *Cum Herodianis.* Vide Scholia nostra Matth. 22. v. 16.

8 *Et* regione quæ est *trans Jordanē.* καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Pro, καὶ τῆς πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Scil. χώρας. *Et qui circa Tyrum ac Sidonem* habitabant. καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα. Scil. κατοικοῦντες. *Magna multitudo.* πλῆθος πολύ. Hæc verba cum præcedentibus & sequentib. cohærent per appositionem. Quasi dicatur, Qui erant magna multitudo: id est, Quorum erat magna multitudo.

10 *Quotquot tenebantur flagellis.* ὅσοι εἶχον μάστιγας. Ab verb. Quotquot habebant flagella: id est, morbos aliáve vitia aut defectus corporis, aut dæmonia. Mataphora.

13 *Ascendit & advocavit.* ἀναβαίνει καὶ προσκαλεῖται. Pro ἀνέβαινε καὶ προσεκαλεῖτο.

16 *Primum Simonem.* πρῶτον Σίμωνα. Hæc verba huc inferi postulat contextus. Vide annotationes Bezæ.

17 *Boanerges.* Βοανηργές. Vox corrupta è Syriacis, בני רגש Benai-regéschi: id est, filii fragoris.

21 *Ipsius propinqui.* οἱ παρ' αὐτοῦ. Scil. ὄντες. ad verb. Qui ab eo erant. *Eum apud se non esse.* ὅτι ἐξέστη. Vel per mimesin, *apud se non est*: seu, *Extra se raptus est.*

28 *Quibuscunque blasphemarint.* ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν. Ante ὅσας subauditur κρ.

29 *Judicio.* κρίσεως. Id est, damnatione seu pœna. Synecdoche generis, & metonymia efficientis.

30 *Dicebant enim.* ὅτι ἔλεγον. Verba Evangelistæ: quibus rationem exponit, cur Christus verba illa de pœna blasphemantium Spiritum sanctum, pronuntiarit: nempe propter Pharisæos, qui ita blasphemabant, dum dicebant, Jesum habere spiritum impurum & dæmonia ejicere per principem dæmoniorum.

OBSERVATIONES EX CAP. III.

Exv. 4. Proximo ope nostra egenti non benefacere neq; eum servare, si possimus: perinde est atq; si ei malefaciamus, cúmve perdamus. quare proximo ope nostra egenti, quantum in nobis est, succurramus: ne injuriæ ei illatæ rei apud Deum peragamur. Hinc æternum exitium

divitibus avaris minatur Jacobus qui divitias suas potiùs computrescere & vestes suas à tineis erodi, itemq; aurum & argentum suum ærugine vitiari passi sunt, quàm ut inde opem ferrent egenis. Vide Jacob. 5. v. 1. 2. 3.

§18. Ex v. 5. Exemplo Domini irascentis monemur, iram quandam licitam & justam esse: nempe eam quæ oritur ex consideratione malitię qua homines sese veritati cęlesti contra conscientiam petulanter opponunt. qualis fuit ira ista Domini adversus Pharisæos, qui quum in animis suis convicti essent, Jesum rectè agere quòd in sabbatho sanaret ægrotos: tamen ex odio doctrinæ quam ipse tradebat, factum illud tanquam impium damnabant, eumq; propterea perdere conabantur. Falsum est igitur placitū Stoicorum, affectus omnes simpliciter & absq; discrimine damnantium, poscentiumq; ut vir bonus sit ἀπαθὴς, id est, ut animus ejus nullis affectibus commoveatur.

Reliquas observationes quæ ex prima capitis parte peti possunt, vide in Observationibus nostris ex Matthæi 12.

§18. Ex versu 7. & 8. Quòd Jesu ad declinandum insidias Pharisæorum secedente ad mare, magna hominum multitudo ad ipsum sese aggregavit, tum doctrinæ illius audiendæ, tum miraculorum vel percipiendorum vel saltem spectandorum causâ: hinc monemur, veritatem quò magis premitur, eò magis emergere. Simile exemplum vide Actor. 8. ubi narratur, quum discipuli propter persecutionem Hierosolymis egressi, dispergerentur per regiones Judææ & Samariæ, illic eos evangelizasse sermonem Dei, & miraculis confirmasse, atque ita multos ad fidem Christianam adduxisse.

§18. Ex v. 9. & 10. Offensionem corporis adhibitis legitimis mediis evitare licet: exemplo Christi procurantis sibi navigiolum in quo tutus sit ab incursu turbæ.

§18. Ex versu 10. Morbi aliique defectus & vexationes corporis sunt flagella Dei: quibus ille tum reprobos ut severus judex flagellat, tum electos ut clemens pater castigat.

§18. Quare castigationem hanc agnoscentes, resipiscamus. Vide 1. Cor. 11. in fine.

Ex v. 11.

Ex v. 11. Observationem hujus loci vide suprà in Observationibus ex cap. 1. v. 24.

Ex v. 12. Vide suprà cap. 1. v. 25.

Ex v. 13. & sequentibus. Vide observationes ex cap. 10. Matthæi.

Ex v. 21. & 22. Si cui pio doctori accidat, ut ministerio ipsius adversentur ii quos minimè oportebat, puta cognati & doctores alii: consoletur sese exemplo Christi cui idem accidit.

Ex v. 23. & sequentibus. Vide observationes ex Matth. 12. v. 24. & sequentibus.

Ex v. 31. & sequentibus. Vide observationes ex Matth. 12. v. 46. & sequentibus.

ANALYSIS CAP. IIII.

Argumentum.

Sex sunt hujus capitis partes. Primùm proponit Dominus turbæ parabolam de semine, quod inter seminandum quadrifariam cecidit, eamq; discipulis privatim explicat. Secundò promittit discipulis ampliorẽ Evangelii in mundo patefactionem, v. 21. & 22. Tertiò monet discipulos ut sibi caveant tum ab ignavia invidiáve in cælesti doctrina aliis communicanda, tum ab ignavia incuriáve in eâdem meditanda atque custodienda, v. 24. & 25. Quartò proponit parabolam de occulto seminis jacti incremento, v. 26. & seq. Quintò proponit parabolam de incremento inopinato grani sinapis, v. 30. & seq. Sextò sedat tempestatem maris, v. 35. & sequentibus.

Prima pars.

Parabola de semine quod quadrifariam cecidit.

ET rursus cœpit docere juxta mare: & congregata est ad eum turba multa, adeò ut ipse navigium ingressus, sederet in mari: tota autem turba juxta mare in terra erat.

2 *Et docebat eos per parabolas multa, dicebatq; eis in doctrina sua;*

3 *Audite, Ecce, Exiit seminator quidam ad seminandum:*

4 *Et factum est in seminando; aliud quidem cecidit juxta viam: venerunt q; volucres cæli, & devoraverunt illud.*

5 *Aliud vero cecidit in petrosa, ubi non habebat terram multam: & statim exortum est, propterea quòd non haberet profunditatem terræ.*

6 *Sole autem exorto torrefactum est; & propterea quòd non habebat radicem, exaruit.*

7 *Et aliud cecidit in spinas: & assurrexerunt spinæ, ac suffocarunt illud; & fructum non dedit.*

8 *Et aliud cecidit in terram bonam, dedit q; fructum assurgentem & crescentem: & tulit aliud triginta, & aliud sexaginta, & aliud centum.*

9 *Tunc dixit eis, Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

10 *Quum autem esset solus, interrogarunt eum qui circa eum erant cum duodecim, de parabola.*

11 *Et dixit eis, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt, per parabolas omnia ista fiunt:*

12 *Ut videntes videant, & non cernant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, & remittantur eis peccata.*

13 *Præterea dixit eis, Nescitis parabolam istam? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?*

14 *Seminator ille, sermonem seminat.*

15 *Isti autem sunt qui juxta viam* semen excipiunt; *in quibus* videlicet *seminatur sermo: sed postquam audierunt, statim venit Sanatas, & tollit sermonem seminatum in cordibus eorum.*

16 *Et isti similiter qui in petrosa semen excipiunt: qui* videlicet, *quum audierint sermonem, statim cum gaudio accipiunt eum:*

17 *Sed non habent radicem in se, verum temporarii sunt: deinde ortâ oppressione aut persequutione propter sermonem, statim offenduntur.*

18 *Hi sunt autem qui in spinas semen excipiunt, hi sunt*, inquam, *qui sermonem audiunt:*

19 *Sed solicitudines seculi hujus, & fallacia divitiarum, & cupiditates quæ in cæteris rebus* versantur, *introeuntes suffocant sermo-*

sermonem, isq; redditur fructus expers.

20 *Hi sunt verò qui in terram bonam semen exceperunt, qui* videlicet *audiunt sermonem, & accipiunt: & fructum ferunt, aliud triginta, aliud sexaginta, aliud centum.*

INitio præmittitur *propositio* sequentium parabolarum, v. 1. & 2. Deinde recitatur *parabola prima* quæ est de semine quod quadrifariam cecidit, à vers. 3. usque ad 10. Tum subjungitur parabolæ illius *explicatio*, v. 10. & seq.

In propositione indicatur primùm *locus*, ubi Dominus istas parabolas pronuntiavit, videlicet juxta mare Galilææ, qui est locus dictus Genesaret. Deinde *auditores* ad quos parabolas illas pronuntiavit, nempe turba, & quidem multa. Tertiò *locus specialis* quo fuit contentus inter docendum, nempe navigium. Quartò *situs docentis*, videl. sessio. Quintò *situs turbæ audientis*, videl. statio (ut exprimit Matthæus) juxta mare sive in littore maris. Sextò *numerus parabolarum*, sed indefinitè, nempe quòd proposuerit parabolas multas.

Parabola de semine *membra* habet *quatuor*, pro numero quadruplicis casus seminis: aliud enim cecidit in viam, aliud in petrosa, aliud in spinas, aliud denique in terram bonam. Hæc membra singula declarantur ex effectis: quid scilicet singulis illis seminis partibus evenerit, nempe quòd tres primæ partes perierint: prima quidem devorata ab avibus, secunda arefacta æstu solis, tertia suffocata: quarta autem demum pars tulerit fructum, eumque discrimine triplici, alium alio copiosiorem. Ad finem adjicitur *adhortatio*, ad parabolæ propositæ meditationem, v. 9.

Explicationi parabolæ præmittuntur tum *causæ impulsivæ*, id est, quæ Dominum impulerunt ad illam discipulis proponendam, tum *discipulorum reprehensio*. Causæ indicantur duæ: una προκαταρκτική, videl. petitio discipulorum, v. 10. altera προηγουμένη, benevolentia Domini singularis erga illos tanquam electos. v. 11. Hæc benevolentia illustratur & amplificatur antithesi reproborum, quibus ista patefactio non contingat: quod ipsum declarat exposi-

tione finis, nempe occulti consilii divini: quam finis expositionem testimonio prophetæ Esaiæ confirmat, quatenus finem illum verbis Prophetæ exponit. Reprehensio discipulorum pertinet ad eorum ruditatem ac tarditatem: & amplificatur collatione imparium, v. 13. Explicatio ipsa clara est, nec nostrâ explicatione indiget: nisi quòd monendum, per fructus quos semen verbi in cordibus electorum fert, intelligenda esse omnis generis bona opera, quæ Deo instar suavissimorum fructuum accepta sunt.

SECUNDA PARS.

Promissio amplioris patefactionis Evangelii in mundo.

21 *Dixit etiam eis, Num lucerna venit ut subter modium ponatur, aut subter lectum? nonne ut candelabro imponatur?*

22 *Non est enim quicquam occultum quod non manifestandum sit: neque factum est* quicquam ut sit *absconditum, sed ut in propatulum veniat.*

23 *Si quis habet aures ad audiendum, audiat.*

Promissio hæc primùm *proponitur*, v. 21. deinde *confirmatur*, v. 22. tum *amplificatur* adjectâ admonitione, v. 23. *Propositio* est obscura: quia parabolica, tecta videlicet involucro similitudinis: ubi Evangelium tacitè comparatur lucernæ: eò quòd hominibus ostendit rationem agendi quæ recta sunt & cavendi offendicula. Sententia est: Sicut lucerna non ponitur subter modium aut subter lectum, sed super candelabrum, ut lucem præbeat familiæ cujus beneficio negotia sua rectè quisq; possit expedire & necubi impingat cavere: sic Evangelium non est perpetuò occultandum, sed suo tempore in mundo prædicandum, ut per illius notitiam homines possint agere quæ recta & Deo placentia sibiq́ue ipsis salutaria sunt, & cavere offendicula. *Confirmatio* hujus promissionis petitur à genere, nempe à sententia generali, câq́ue proverbiali, atque ita confirmata testimonio vulgi. Sententia hæc est, Omnia occulta suo tempore revelantur: Ergo & Evangelium jam mundo occultum, suo tempore illi revelabitur. *Admonitio* per exclamationem adjecta, est de dictis istis

Domini

Domini tanquam obscurè propositis, diligenter meditandis, ut nimirum sensum illorum consequantur: & sensum certum adepti, fidem illis habeant.

TERTIA PARS.

Admonitio de doctrina cæleſti communicanda & custodienda.

24 *Præterea dixit eis, Videte quid audiatis: qua mensura metimini, alii vobis metientur, & adjicietur vobis qui auditis.*

25 *Qui enim habet, dabitur ei: & qui non habet, etiam quod habet, tolletur ab eo.*

Admonitio hæc similiter obscurè proponitur. Constat autem *propoſitione* & *confirmatione* ab effectis. *Propoſitio* verbis generalibus concepta est, ubi ait, *Videte quid audiatis.* Sententia videtur esse: Cavete ne audiatis ex me doctrinam cæleſtem sine fructu, ut scilicet neque ad vos neq; ad alios justus fructus inde redeat: idq; ex vestra vel ignavia vel invidia: Sed potiùs operam date, ut doctrinam cæleſtem quam ex me audieritis, tum aliis liberaliter communicetis, tum apud vos diligenter meditemini & custodiatis, inque ea proficere studeatis. Sic propoſitio est *duplex:* una de doctrina liberaliter aliis cõmunicanda: altera de eadem custodienda ac meditanda. Prioris propoſitionis confirmatio exponitur hac sententia proverbiali: *Qua mensura metimini, alii vobis metientur.* Sententia videtur hæc esse. Si liberaliter doctrinam cæleſtem aliis communicabitis, Deus vicissim vobis illam liberaliter communicabit, ita ut vobis adjiciatur subinde cognitio myſteriorum Dei major. Si verò in illa aliis communicanda eritis parci aut remissi: Deus quoque in illa vobis communicanda parcus & remissus erit. Posterioris propoſitionis confirmatio similiter continetur sententiâ proverbiali, nempe: *Qui habet, dabitur ei,* &c. Sententia videtur hæc esse: Sicut in mundo divitibus munera offerri solent, pauperes verò bonis suis spoliari: ita qui habet notitiam myſteriorum regni Dei, eamque sedulò custodit, ei dabitur à Deo cognitio amplior: Contrà qui notitiam myſteriorum Dei non habet, nempe

qualis ſufficit ad ſalutem, neque ſollicitus eſt de illa notitia quam habet cuſtodienda & amplificanda; ſpoliabitur à Deo etiam illâ qualicunque notitia qua ad plenioremm & ſalutarem poterat deduci. Sic admonitionis inſtitutæ argumenta ducta ſunt ab effectis tum utilibus, ſi quis illi pareat: tum noxiis, ſi eam contemnat.

QUARTA PARS.

Parabola de ſeminis occulto incremento.

26 *Item dicebat, Ita eſt regnum Dei ut ſi quiſpiam jaciat ſemen in terram,*

27 *Et dormiat, & exurgat nocte ac die: & ſemen germinet, & aſſurgat quomodo ipſe neſcit.*

28 *Sponte enim terra fructum fert, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.*

29 *Quum autem prodiderit ſeſe fructus, ſtatim mittit falcem: quoniam adeſt meſſis.*

Apodoſis parabolæ præcedit, comprehenſa ſententiâ generali, his verbis, *Ita eſt regnum Dei.* ubi per Regnum Dei metonymicè intelligitur verbum Dei, quo homines in regnum Dei adducuntur. *Protaſis* ſequitur ibi, *Ut ſi quiſpiam,* ubi primùm narrantur *actiones ſeminatoris* circa ſemen, v. 26. & initio vigeſimiſeptimi. deinde *actiones ſeminis ſati*, reliquâ parte v. 27. & verſu 28. poſtremò *actio hominis* circa fructum è ſemine enatum, v. 29. Videtur autem Dominus *tria* hac parabola docere voluiſſe. *Primùm* operationem verbi Dei in corde hominis recepti, eſſe occultam: ſicut ſcilicet germinatio & incrementum ſeminis eſt occulta, nec ab homine poteſt obſervari. *Deinde,* operationem illam verbi habere ſuos gradus & incrementa: ſicut ſcilicet ſemen primùm efficit herbam, deinde ſpicam, poſtremò plenum frumentum in ſpica. Ad quos tres gradus & ſpecies effectorum ſeminis accommodari poſſunt tres ſpecies effectorum verbi, & rurſus ſingularum illarum ſpecierum tres gradus. Etenim verbum Dei in corde hominis ſatum atque receptum; efficit fidem, ſpem & charitatem: non quidem per temporis ſucceſſionem, ſicut ſemen efficit herbam, ſpicam & plenum frumentum:

mentum: ſed tempore ſimul, certo tamen ordine naturæ: primùm ſcilicet fidem, deinde ex fide ſpem, tum ex utraque charitatem. Quippe diligit homo Deum & proximũ, quia credit Deo teſtanti de paterna ſua erga illum benevolentia propter Chriſtum, & quia ex hac fide ſperat hæreditatem illam cæleſtem. Unde percipitur, ex fide primùm generari ſpem: deinde ex fide & ſpe charitatem. Deinde ſingulæ illæ ſpirituales virtutes, Fides, inquam, Spes & Charitas, ſua habent incrementa, & gradus numero tres. Primùm enim ſunt exiguæ, & velut in herba: deinde mediocres, & quaſi in ſpica: poſtremò magnæ, tanquam plenum frumentum in ſpica. Et ſicut ſpes atque charitas ex fide naſcuntur, ſic etiam pro fidei quantitate augentur. Etenim quo firmiùs quis de Dei erga ſe paterna benevolentia perſuaſus eſt, eò etiam firmiùs hæreditatem illam cæleſtem à Deo ſe adepturum ſperat: & quò quis firmiùs tũ perſuaſus eſt de Dei erga ſe benevolentia, tum ſperat hæreditatem cæleſtem: eò ardentiùs quoq; Deum amat: & quò ardentiùs Deum amat, eo ardentiùs quoq; amat proximum. Atqui hæc ſecunda hujus parabolæ doctrina eſt. *Tertia* eſt, de fructu quem homo ex illa verbi in ſeſe operatione percepturus eſt ſuo tempore. Nam ſicut homo in cujus agro ſemen operationes ſuas juſtas habuit, tempore meſſis, fruges metit & in horrea colligit, iisque fruitur: ſic homo in cujus corde verbũ Dei juſtas ſuas operationes habuerit, tempore judicii univerſalis (quod meſſi comparatur Matth. 13 39.) metit fructus ſuæ fidei, ſpei & charitatis, videl. vitam æternam.

QUINTA PARS.

Parabola de incremento inopinato grani ſinapis.

30 *Dicebat etiam, Cui* rei *aſſimilabimus regnum Dei? aut qua collatione conferemus illud?*

31 *Velut granum ſinapis: quod quum ſeminatur in terra, minimum eſt omnium ſeminum quæ in terra ſunt:*

32 *Sed quum ſeminatum fuerit, aſſurgit, & fit maximum omnium olerum: editq; ramos magnos, ita ut poſſint ſub ejus umbra volucres cæli nidulari.*

33 *Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem, prout poterant audire.*

34 *Absque parabola verò non loquebatur eis, privatim autem discipulis suis explicabat omnia.*

Apodosis præcedit v. 30. comprehensa sententiâ generali, ut in parabola præcedente: & exornata *εἰκοτολογίᾳ*, communicatione Rhetoricâ Hebræis familiari. *Protasis* continetur v. 31. & 32. Tum v. 33. & 34. annectitur *clausula generalis*, continens ætiologiam parabolarum propositarum & narrationem de illarum explicatione. Videtur autem Dominus istâ parabolâ de grano sinapis docere voluisse: incrementum effectorum verbi Dei in corde recepti, necnon fructus inde ab homine precipiendos, esse majora opinione: hoc est, quàm quis possit putare aut sperare, si respiciat ad externam verbi conditionem. Sicut enim qui videt granum sinapis in terram conjici; nisi intimam ejus naturam perspectam habeat, & tantùm externam ejus quantitatem consideret, non putaret tantum fruticem inde enaturum: ita etiam qui de natura verbi Dei per Spiritum sanctum nondum est edoctus, sed illud æstimat judicio rationis carnalis, contemnit illud tanquam rem stultam, ut Paulus ad Corinthios monet: atque etiam inefficacem, si respiciat ad ipsos verbi doctores. Nam & rationi humanæ stultum videtur, nos æternam salutem & felicitatem adipisci per supplicium hominis crucifixi: & inefficacem judicat esse suasionem hominum plebeiorum atque obscurorum, quales ferè sunt verbi doctores. Interim tamen sicut granum sinapis præter hominum imperitorum opinionem ac spem excrescit in grandem fruticem atque arborescentem, sub cujus umbra volucres cæli nidulantur, suasque voluptates percipiunt: ita etiam præter carnalium hominum opinionem ac spem, verbum Dei in cordibus electorum tantas vires sumit, ut efficiat fidem, spem & charitatem, & quidem suo tempore magnam: quarum vi homo tandem æterna gaudia percipit.

SEXTA PARS.

De ſedatione tempeſtatis.

35 *Dixit autem eis die illo, veſperâ facta: Tranſeamus in ulteriorem* ripam.

36 *Dimiſsâ igitur turbâ acceperunt eum ut erat in navigio: ſed alia quoque navigiola erant cum eo.*

37 *Tunc oritur turbo venti magnus: fluctuſq; irruebant in navigium, ita ut jam impleretur.*

38 *Erat autem ipſe in puppi, cervicali indormiens: tunc expergefaciunt eum, dicuntq; ei, Magiſter, non eſt tibi curæ quòd perimus?*

39 *Experrectus igitur objurgavit ventum, dixitq; mari, Sile, obmuteſce. Tum quievit ventus, factaq; eſt tranquillitas magna.*

40 *Dixit autem eis, Quid ita timidi eſtis? quomodo fidem non habetis?*

41 *Et timuerunt timore magno; dicebantq; alius ad alium, Quiſnam iſte eſt, quòd etiam ventus & mare auſcultant ei?*

Primùm narratur ſedatæ tempeſtatis *occaſio*, verſ. 35. & 36. Secundò deſcribitur *ipſa tempeſtas*, verſ. 37. Tertiò indicatur *cauſa corrumpens ſedationis*, in principio verſ. 38. Quartò, *cauſa impulſiva ſedationis*, in reliqua parte v. 38. Quintò, *cauſa inſtrumentalis ſedationis*, in principio v. 39. Sextò *ſedatio ipſa*, in reliqua parte v. 39. Septimò adjuncta *reprehenſio diſcipulorum*, v. 40. Octavò *effecta* iſtius miraculi, v. 41.

Occaſionem huic miraculo præbuit navigatio Chriſti unâ cum diſcipulis. Illa deſcribitur primùm ex circumſtantia temporis quo fuit ſuſcepta, videl. in veſpera ejus diei quo docuerat populum ex navi. Deinde ex cauſis procreantibus: tum principali, eaque voluntaria: quæ fuit Chriſtus mandans diſcipulis, ut ipſum navigio transferrent in ulteriorem ripam: tum adjuvante & miniſtra; qui fuerunt diſcipuli Chriſtum accipientes ita ut erat in navigio, & transvehentes. Tertiò ex adjunctis, videl. ex adjuncta præparatione ſeu remotione cauſæ corrumpentis, nempe dimiſſione turbæ: & ex adjuncto comitatu aliorum navigiolorum.

Tempestas describitur è causa procreante, quæ fuit turbo venti: & ex effectu: videl. fluctuum irruptione in navim.

Causa corrumpens quæ sedationem ad tempus impedivit, fuit somnus Christi.

Causa impulsiva fuit petitio discipulorum Christum excitantium & opem ejus implorantium.

Causa instrumentalis fuit mandatum Christi quo imperavit vento & mari quietem.

Sedatio amplificatur partim ab adjuncta celeritate, partim ab adjuncta tranquillitatis magnitudine.

Reprehensio discipulorum reprehendit duo: nimirum timorem & defectum fidei.

Effecta in spectatoribus narrantur duo: timor & admiratio. Timor nominatim exprimitur: Admiratio significatur per exclamationem.

SCHOLIA IN CAP. IIII.

1 *Et rursus cœpit.* καὶ πάλιν ἤρξατο, &c. De hoc loco vide Scholia nostra in Matth. 13. v. 1. & de inceps: ubi parabola hæc iisdem pœnè verbis descripta extat.

4 *Aliud quidem.* ὃ μὲν. Subaudiendum σπέρμα, id est, semen. Vel; ὃ μὲν, scilicet μέρος: id est, alia quidem pars, nempe seminis. Et ὃ μὲν id est, ἄλλο μὲν: cui v. 5. opponitur ἄλλο δὲ.

5 *In petrosa.* ἐπὶ τὸ πετρῶδες. Scil. μέρος τῆς γῆς: in petrosam terræ partem. Sed videtur esse enallage numeri, quia infrà v. 16. habetur, ἐπὶ τὰ πετρώδη.

13 *Et quomodo.* καὶ πῶς. Id est. Quomodo igitur?

14 *Seminator ille.* ὁ σπείρων. Id est, Is qui per seminatorem illum de quo dixi, significatur & adumbratur. *Sermonem.* τὸν λόγον. Videl. sermonem regni, ut apud Matth. nominatur: id quod innuit articulus. Ergo, *sermonem seminat*: id est, Evangelium prædicat.

15 *Qui juxta viam* semen excipiunt. οἱ παρὰ τὴν ὁδόν. Supple σπειρόμενοι, vel σπαρέντες: ex collatione versiculi 16. & 18. & 20. *Tollit.* αἴρει. Id est, aufert.

22 *Neque factum est* quicquam ut sit *absconditum.*

ἀλλ' ἐγένετο κρύφιον. Pro: ἀλλ' ἐγένετό τι ἵνα μὴ κρύφιον. Gemina ellipsis. Pronomen τι repetendum est ex membro præcedente. Duas autem voces ἵνα μή, subaudiendas esse, percipitur ex membro sequente: ubi dicitur, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ. Ubi post ἀλλα repetendum est verbum ἐγένετο: *Sed factum est*, scilicet quicquid factum est. Cæterùm conjunctione ἵνα non notatur consilium hominis agentis: sed Dei, eventus actionum humanarum gubernantis. Sic autem esse hunc locum distinguendum, in duo videlicet membra principalia, quibus una eademq; sententia verbis diversis enunciatur, & quorum posterius incipit à verbis, ἀλλ' ἐγένετο: planum evadit ex collatione Lucæ cap. 8. vers. 17. & cap. 12. v. 2. ubi eadem sententia simili modo enuntiatur.

29 *Mittit falcem.* Ἀποστέλλει τὸ δρέπανον. Vel, *immittit*: scil. in segetem. Est autem catachresis Hebraica in verbo ἀποστέλλειν: quod respondet Hebraico שלח: & propriè refertur ad personas quæ mittuntur ad negotium aliquod expediendū. Veruntamen per metaphoram καταχρηστικῶς refertur quoque ad res alias per quas aliquid agimus: ut ad manum: ut Gen. 22. v. 12. Angelus dixit Abrahæ jugulaturo Isaacum: *Ne immittas manum tuam in puerum.* אל תשלח. ubi Græca versio bene reddidit, μὴ ἐπιβάλῃς τὴν χεῖρά σου, &c. Et sic hoc loco ἀποστέλλει τὸ δρέπανον, est ἐπιβάλλει τὸ δρέπανον, immittere falcem in segetem, vel adhibere falcem segeti.

31 *Velut granum.* ὡς κόκκος. Sermo ἀνωμάλως. Rectum erat, κόκκῳ: Scil. ὁμοιώσομεν: ex collatione versus præcedentis. Vel: ὡς κόκκος, Scil. ἐστὶν: nempe ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ: ex collatione ejusdem versus.

33 *Sermonem.* τὸν λόγον. Scil. τῆς βασιλείας: sermonem de regno Dei, hoc est, Evangelium: *Prout poterant audire.* καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν. Audire videtur hîc positum pro intelligere, per metonymiam Hebraicam: ut 1 Cor. 14. v. 2. & 21. Ut his verbis significetur, Dominum accommodavisse sermonem suum captui auditorum. Quod ipsum significat quoque cùm ait Nicodemo: *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?*

Johan. 3. v. 12. Quo modo & Paulus ait, *se non potuisse loqui Corinthiis, ut spiritualibus: sed loquutum eis esse ut carnalibus, &c.* 1. Corinth. 3. v. 1. Intelligentia autem ista referenda est ad ipsas parabolas secundùm literam intellectas, utpote de rebus terrenis & vulgò notis pronuntiatas: nam mysterium regni cælorũ per illas parabolas significatum atque adumbratum non intellexerunt: ut patet ex versu sequente: item ex verbis Domini quæ habentur suprà v. 11. & 12.

34 *Explicabat.* ἐπέλυε. Ad verb. Dissolvebat: videlicet quasi nodos. Sic dicitur ἐπίλυσις προφητείας γραφῆς, explicatio prophetiæ scripturæ, 2. Pet. 1. v. 20.

38 *Non est tibi curæ.* οὐ μέλει σοι. Interrogatio conquerentis & reprehendentis. Conqueruntur se à Domino negligi, & hoc nomine illum reprehendunt.

39 *Obmutesce.* πεφίμωσο. Ad verb. Capistrator. nam φιμοῦν est capistrare seu fiscellam ori obdere: ut 1. Cor. 9. v. 9. οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα. Non obligabis os bovi trituranti. Est igitur hîc metaphora καταχρηστική. *Tranquillitas.* γαλήνη. Vide Scholia in Matth. 8. v. 26.

40 *Quid ita timidi estis.* τί δειλοί ἐστε οὕτω. Interrogatio reprehendentis. *Fidem* πίστιν. Scil. qua credatis promissionibus Dei: qui promisit se filios suos in periculis ipsi fidentes & opem ipsius implorantes conservaturum.

41 *Timuerunt timore magno.* ἐφοβίθησαν φόβον μέγαν. Ante φόβον subauditur κατὰ. Similis est phrasis in illo, ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα, gavisi sunt gaudio magno valde, Matth. 2. v. 10. *Quod etiam ventus, &c.* ὅτι καὶ ὁ ἄνεμος &c. Sic puto reddendũ, conjunctione ὅτι accepta εἰ δικῶς: quasi dicant, Res certè admiratione digna est, quòd huic viro auscultant venti & mare. Nam ista interrogatio, τίς ἄρα οὗτός ἐστιν. Quisnam iste est? vim habet admirandi.

OBSERVATIONES EX CAP. IIII.

διδ. Quid discendum sit ex parte prima, vide in observationibus nostris ex cap. 13. Matthæi.

Quid ex parte secunda, vide Matth. 5. vers. 15. Quibus addo: Doctrinam cælestem ex singulari providentia Dei

Dei nunc obscuriùs, nunc clariùs prædicari. Item eandem diligenter esse meditandam: præsertim si obscuriùs sit proposita. *tria.*

Ex parte tertia. Qui sapientiam cælestem, id est, notitiam mysteriorum regni Dei adeptus est, studiosè meditando eam custodiat & ad usum transferat, necnon liberaliter eam aliis communicet: Ita enim fiet ut Deus sapientiam hanc ipsi augeat. Contrà qui tantum thesaurum negligenter habet, tandem penitus eo privatur. Huc pertinet parabola de negotiatione per talenta servis cõmissa, Matth. 25. v. 14. & deinceps. *tria.*

Ex parte quarta. Quid discendum sit ex parabola de seminis occulto incremento, dictum jam est in Analysi.

Ex parte quinta. Doctrina hujus loci jam est exposita in Analysi.

Ex parte sexta. Vide Matth. 8. v. 23. & sequentibus.

ANALYSIS CAP. V.

ARGUMENTUM.

Partes tres sunt, prout tria narrantur Christi miracula. 1. Ejectio legionis dæmoniorum, usque ad v. 21. 2. Excitatio filiæ Jairi. 3. Sanatio mulieris laborantis fluxione sanguinis. Hujus sanationis narratio inserta est narrationi excitationis puellæ: incipiens v. 25. desinens v. 34.

PRIMA PARS.

Ejectio legionis dæmoniorum.

ET *venerunt in ulteriorem* ripam *maris, in regionem Gadarenorum.*

2 *Egressoq; ei è navigio, statim occurrit è monumentis homo in quo erat spiritus impurus:*

3 *Qui habitationem suam habebat in monumentis, & ne catenis quidem quisquam poterat eum vincire:*

4 *Propterea quòd sæpe pedicis & catenis vinctus fuerat, sed discerptæ fuerant ab eo catenæ, & pedicæ contritæ: neque quisquam poterat eum domare.*

5 *Et per omne* tempus *die ac nocte in montibus & monumentis erat clamans, & concidens seipsum lapidibus.*

6 *Quum vidisset autem Jesum procul, cucurrit & adoravit eum:*

7 *Et clamans voce magna dixit, Quid mihi tecum Jesu Fili Dei altissimi? adjuro te* per *Deum ne me torqueas.*

8 *(Dicebat enim ei, Exi spiritus impure ex isto homine)*

9 *Tunc interrogavit eum, Quod tibi nomen est? Et respondit dicens, Legio mihi nomen est, quia multi sumus.*

10 *Et multum precabatur eum ne mitteret ipsos extra illam regionem.*

11 *Erat autem illic ad montes grex porcorum magnus pascens.*

12 *Et precati sunt eum omnes* illi *dæmones, dicentes, Mitte nos in istos porcos, ut in eos introeamus.*

13 *Et permisit eis statim Jesus. Et egressi spiritus illi impuri introierunt in istos porcos: & ruit ille grex è præcipitio in mare, (erant autem quasi bis mille) & suffocati sunt in mari.*

14 *Qui verò pascebant istos porcos, fugerunt, & renuntiarunt in urbem & in agros. Et* illi *egressi sunt ut viderent quid illud esset quod factum fuerat.*

15 *Veniunt igitur ad Jesum, & conspiciunt eum qui fuerat dæmoniacus, sedentem ac vestitum, & sana mentis, eum* inquam *qui habuerat legionem: & timuerunt.*

16 *Et qui id viderant, narraverunt eis quomodo actum esset cum dæmoniaco, & de porcis.*

17 *Tunc* illi *cœperunt eum rogare ne abiret ex finibus ipsorum.*

18 *Ipso verò ingresso in navigium, rogabat eum ille qui fuerat dæmoniacus, ut esset cum ipso.*

19 *Jesus autem non permisit ei, sed ei dixit, Abi domum tuam ad tuos, & eis renuntia quanta tibi Dominus præstiterit, &* quantopere *misertus sit tui.*

20 *Abiit igitur* ille, *& cœpit prædicare in Decapoli quanta ipsi fecisset Jesus. & omnes mirabantur.*

Primùm indicatur *locus* ubi ista ejectio accidit, videl. in regione Gadarenorum, v. 1. Deinde *occasio* qua accidit, videl. occursus dæmoniaci, v. 2. Tertiò *causa impulsiva* quæ

quæ Christum impulit ad ejiciendum illa dæmonia, videl. dæmoniaci miseria: quæ describitur primùm è subjecto loco ubi habitavit, videl. in monumentis, v. 3. deinde ex adjuncto furore, qui significatur ex effectis: nempe quòd non potuerit catenis vinciri, sed catenas discerpserit & pedicas contriverit, deniq; non potuerit à quoquam domari, v. 3. & 4. itẽ quòd perpetuò clamaverit, & lapidibus se ipse conciderit, v. 5. Quartò repetitur *occasio*, v. 6. Quintò exponitur *modus agendi*, videl. imperium Christi, v. 8. Imperium autem illud declaratur ex effectis, videl. petitione dæmoniorũ triplici. Prima est, ne torqueantur à Christo, scil. abire jussa in abyssum: ut declarat Lucas cap. 8. v. 31. Secunda, ne mittantur extra illam regionem, v. 10. Tertia ut permittantur invadere gregem porcorum in vicinis montibus pascentem. Sextò narrantur *eventa* ejectionis varia; quorum alia ex aliis consecuta sunt, hoc ordine:

1 Dæmonia invaserunt porcos.
2 Porci præcipitarunt se in mare & suffocati sunt.
3 Pastores fugerunt & renuntiarunt in urbem & in agros.
4 Incolæ egressi sunt ut viderent quid accidisset.
5 Re cognitâ extimuerunt.
6 Rogarunt Christum ut abiret ex finibus ipsorum.
7 Is ex quo ejecta fuerant dæmonia, cupivit Christum sequi: sed jussus abire domum, paruit: & beneficium Christi prædicavit in decapoli.
8 Omnes qui id audiverunt, mirati sunt.

PARS SECUNDA ET TERTIA.

Excitatio filiæ Jairi, & sanatio mulieris laborantis fluxione sanguinis.

21 *Et quum Jesus rursum trajecisset navigio in ulteriorem* ripam, *congregata est turba multa ad eum: erat q; apud mare.*

22 *Et ecce, venit unus ex principibus synagogæ, nomine Jairus: & quum vidisset eum, accidit ad pedes ejus.*

23 *Et multum precabatur eum, dicens, Filiola mea in extremum adducta est:* rogo *ut venias & imponas ei manus, ut servetur: & vivet.*

24 *Abiit igitur* Jesus *cum eo : & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.*

25 *Tunc mulier quædam quæ erat in fluxione sanguinis ab annis duodecim :*

26 *Fueratq; multa perpessa à multis medicis, & expenderat omnia sua, & nihil adjuta fuerat, sed potius in deterius venerat :*

27 *Quum audisset de Jesu, vênit in turba à tergo, & tetigit vestimentum ejus.*

28 *Dicebat enim, Si vel vestimenta ejus tetigero, servabor.*

29 *Et statim exaruit fons sanguinis ejus : & sensit corpore se sanatam esse ex eo flagello.*

30 *Statim autem Jesus quum apud se cognovisset vim quæ ex ipso exierat, conversus in turba, dixit, Quis tetigit vestimenta mea ?*

31 *Et dixerunt ei discipuli ipsius, Vides turbam te comprimentem, & dicis, Quis me tetigit ?*

32 Ipse verò circumspiciebat ut videret eam quæ hoc fecerat.

33 *Mulier autem, timens & tremens, quum sciret quod in se factum fuerat, vênit & accidit ei* ad pedes, *dixitq; ei omnem veritatem.*

34 *Ille autem dixit ei, Filia, fides tua te servavit : abi in pace, & esto sana ex flagello tuo.*

35 *Adhuc eo loquente veniunt* quidam *à præfecto Synagogæ, dicentes, Filia tua mortua est : quid amplius vexas magistrum ?*

36 *Jesus autem, statim ut audiit hunc sermonem dici, ait præfecto Synagogæ, Ne metue ; sulummodò crede.*

37 *Neq; permisit ut quisquam ipsum consequeretur nisi Petrus & Jacobus & Johannes frater Jacobi.*

38 *Tunc venit domum præfecti Synagogæ, & conspicit tumultum, flentes & ejulantes multum.*

39 *Et ingressus dicit eis, Quid tumultuamini & fletis ? puella non est mortua, sed dormit.*

40 *Et deridebant eum. Ipse verò, ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & eos qui secum erant, & ingreditur* cò *ubi puella erat jacens.*

41 *Prehensâq; manu puellæ, dicit ei, Talitha kumi : quod*

est,

est, si interpreteris, Puella (tibi dico) surge.

42 *Et statim surrexit puella, & ambulabat: erat enim annorum duodecim. & obstupuerunt stupore magno.*

43 Ipse *verò multùm imperavit eis nequis id resciret: dixitq; ut daretur puellæ quo vesceretur.*

Primùm indicatur *occasio* excitatæ filiæ Jairi, videl. petitio Jairi de illa quum morti vicina videretur, salvanda, v. 21. 22. 23. 24. Hæc petitio illustratur à subjecto loco ubi facta est, videl. ad mare, v. 21. Et ab adjunctis testibus, videlicet turba: ibid. Tum ab adjuncta conditione seu statu petentis, quòd fuerit unus ex archisynagogis, vers. 22. Præterea ab adjuncto gestu, quòd acciderit ad pedes Jesu, v. eod. Necnon ab adjuncta vehementia, quòd precatus sit multum, v. 23. Et denique ab eventis, videl. impetratione, v. 24. & compressione Jesu, ibid. Deinde indicatur *causa impulsiva*, videl. fides Jairi: quæ declaratur ex causis: ac primùm ex causa conservante, videl. sanatione mulieris in itinere, à v. 25. usque ad 35. deinde ex causa corrumpente, videl. nuntio domesticorum Jairi de morte filiæ, v. 35. tum ex alia causa conservante, videl. consolatione Christi & promissione excitationis gemina: unâ directâ, pronuntiatâ scilicet ad ipsum Jairum, v. 36. alterâ obliquâ, pronuntiatâ ad turbam quæ convenerat ad ducendum funus, v. 38. & 39. Tertiò indicantur *spectatores seu testes* qui fuerunt tres è discipulis, & pater ac mater puellæ, v. 37. & 40. Quartò exponitur *modus agendi*, videlicet imperium Christi, v. 41. Quintò narratur *miraculum ipsum*, v. 42. Sextò *effectum* miraculi, videl. vehemens admiratio eorum qui viderant, v. 42. Postremò narrantur duo quædam *adjuncta*: interdictum patefactionis miraculi, & mandatum de cibo puellæ dando, v. ult.

Cæterùm *sanatio mulieris*, cujus narratio tertiam capitis partem constituit, describitur ad hunc modum. Primùm indicatur *causa impulsiva*, videlicet magnitudo morbi mulieris: quæ declaratur ab adjuncta diuturnitate, v. 25. & ex eventis, v. 26. Eventa illa sunt quatuor, ut patet ex textu. Deinde indicatur *modus agendi* adhibitus à muliere, videl. contactus vestis Christi, v. 27. Ille con-

tactus declaratur partim à causa impulsiva, videl. fama Jesu: partim à situ, quòd accesserit à tergo: quo innuitur finis seu scopus, nempe ut latêret. Tertiò *alia causa impulsiva* indicatur, videlicet fides mulieris, v. 28. Quartò *miraculum ipsum*, v. 29. Quintò *patefactio miraculi*, per inquisitionem Christi, v. 30. 31. 32. & confessionem mulieris, v. 33. Sextò *testimonium Christi de causa impulsiva miraculi*, videl. fide mulieris, v. 34. Septimò *promissio durationis sanitatis recuperatæ*, v. eodem.

SCHOLIA IN CAP. V.

Homo in quo erat spiritus impurus. ἄνθρωπος ὃς ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ. Scil. ὤν. Ad verb. Homo qui erat in spiritu immundo, hoc est, cum spiritu immundo. Hebraismus.

3 *Qui habitationem suam habebat.* ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν. Ad articulum τὴν subintelligitur ἑαυτοῦ. Sensus est: Qui habitabat. *Et ne catenis quidem quisquam &c.* καὶ οὐδὲ ἁλύσεσιν οὐδεὶς &c. Ad verb. Et ne catenis quidem nullus. Græcismus. nam apud Græcos gemina negatio fortiùs negat.

9 *Legio.* λεγιών. Legio (ait Varro lib. 4. de Lingua Latina) dividitur in decem cohortes: cohors in quinquaginta manipulos: manipulus in viginti quinque milites pro unoquoque manipulo. Hæc ille: unde colligitur, legionem continuisse milites 12500. Sed nomen istud usurpatur hîc per metaphoram & synecdochen speciei hyperbolicam, posito scilicet numero certo pro incerto, videlicet specie numeri magni pro numero magno in genere: ut percipitur ex verbis sequentibus, *Quia multi sumus.*

12 *Omnes illi dæmones.* πάντες οἱ δαίμονες. Scilicet οἱ ὄντες ἐν ἐκείνῳ τῷ δαιμονιζομένῳ. Articulus hic habet vim ἀναφορικήν. *In istos porcos.* εἰς τοὺς χοίρους. Hoc loco articulus vim habet δεικτικήν. Loquuntur enim de grege illo porcorum cujus modò facta mentio, qui ipsis erat in conspectu.

18 *Ut esset.* ἵνα ᾖ. Id est, ut is (nempe Jesus) pateretur se (dæmoniacum) esse seu versari cum ipso.

20 *In*

20 *In Decapoli.* ἐν τῇ Δεκαπόλει. Initio scilicet facto ab urbe Gadara (ut percipitur ex Luc. 8. v. 39.) ubi iste dæmoniacus degebat. Illam enim urbem Plinius inter oppida regionis Decapolitanæ enumerat. Fuit autem Decapolis regiuncula à numero decem urbium sic vocata. Vide Plin. lib. 3. cap. 18.

23 *In extremum adducta est.* ἐσχάτως ἔχει. Ad verb. Extremè habet. Lucas habet ἀπέθνησκεν, moriebatur. Id est, tendebat ad mortem: Veruntamen ad metam non pervenit, impedita virtute Christi. Rogo *ut venias.* ἵνα ἐλθών. Deficit verbum ἔρχου vel δεῦρο. Videtur autem hęc ellepsis usurpata ad servandum decorum sermonis. Servit enim τῇ ῥητορικῇ, id est, celeritati sermonis, ad notandum affectum precantis Jairi. *Ut servetur.* ὅπως σωθῇ. Scilicet in vita. In eâdem significatione accipitur hoc verbum, Matthæi, 24. vers. 22. ubi Christus de calamitatibus Hierosolymitanorum quas pertulerunt tempore ultimæ obsidionis, loquens, ait: *Nisi contracti fuissent dies illi, non fuisset servata ulla caro,* οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ.

28 *Servabor.* σωθήσομαι. Id est, Sanabor.

29 *Ex eo flagello.* ἀπὸ τῆς μάστιγος. Id est, ex illo suo morbo, quo Deus ipsam quasi flagellabat. Metaphora.

30 *Vim quæ ex ipso exierat.* τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν. Sicut calor exit ex sole in aërem, aquam, terram, terræ nascentia & corpora animalium terrestrium: ut interim vis ipsa calefaciendi in sole maneat: Sic sanitas in corpus istius mulieris quasi exivit ex potentia divina Christi, quatenus ab illa est effecta.

33 *Omnem veritatem.* πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Id est, totam veritatem, omne id quod tunc ab ipsa & circa ipsam actum fuerat.

34 In pace. εἰς εἰρήνην. Pro, ἐν εἰρήνῃ. Id est, cum pace, μετ' εἰρήνης. Hebraismus geminus.

35 *A præfecto synagogæ.* ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου. Id est, è domo præfecti synagogæ. nam ipse tunc erat cum Jesu. Venerunt igitur propriè loquendo non ab illo, sed ad illum. Metonymia subjecti vel adjuncti, qua possessor nominatur pro re possessa. *Quid amplius &c.* τί ἔτι &c.

Pro, τί οὖν ἔτι: Quid igitur ampliùs vexas. quasi dicat, Noli igitur ampliùs molestus esse magistro, deducendo illum domum tuam ad filiam sanandum. id enim frustra fieret. Ellipsis conjunctionis syllogisticæ, & interrogatio vim habens dehortandi. Hanc sententiam simpliciter enuntiavit Lucas his verbis, μὴ σκύλλε τὸν διδάσκαλον, Ne vexa magistrum.

36 *Ut audivit hunc sermonem dici.* ἀκούσας τὸν λόγον λαλούμενον. Articulus τὸν habet vim pronominis relativi: & participium λαλούμενον ponitur ex more Græcorum pro infinitivo λαλεῖσθαι. *Ne metue; solummodo crede.* μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε. Pro, ἀλλὰ μόνον πίστευε. Sed solummodò crede. Ellipsis conjunctionis adversativæ, conveniens τῇ χαρᾷ τοῦ, id est celeritati sermonis in consolando adhiberi solitæ. Sententia est: Ne metue, quasi actum sit de filia, ut quæ non possit vitæ à me restitui: sed solummodò crede, me id & posse & velle: quod si feceris, compotem te reddam voti tui. Sic mandato huic includitur promissio, ad erigendum fidem illius.

37 *Neque permisit ut quisquam.* οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα &c. In Græco est gemina negatio ex more linguæ.

38 *Tumultum conspicit, flentes &c.* θεωρεῖ θόρυβον, κλαίοντας &c. Appositio. Pro, θόρυβον τῶν κλαιόντων &c. Vetus interpres habet, Et flentes. Legit igitur, καὶ κλαίοντας.

39 *Quid tumultuamini & fletis.* τί θορυβεῖσθε καὶ κλαίετε, Id est, Nolite tumultuari & flere. Interrogatio vim habens dehortandi. *Puella non est mortua.* τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν. Id est, τὸ γὰρ παιδίον &c. Nam puella &c. Ellipsis conjunctionis causalis: quam exprimit Matthæus.

40 *Et eos qui secum erant.* καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ. Scilicet ὄντας. Intelligit autem Apostolos illos tres quos commemoravit vers. 37. *Ingreditur* εἰς ὃ &c. εἰσπορεύεται ὅπου. Pro, εἰσπορεύεται ἐκεῖσε ὅπου: vel εἰς τὸν τόπον ὅπου. Ellipsis antecedentis: qualis Matth. 2. vers. 9. *Stetit (Stella) supra* locum *in quo erat puerulus*: ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον. Pro, ἐπάνω τοῦ τόπου οὗ ἦν.

41 *Talitha kumi.* ταλιθὰ κοῦμι. Sunt voces Syriacæ: quæ literis Hebraicis scribuntur ad hunc modum, טלית קומי.

Tibi

Tibi dico. σοὶ λέγω. Hæc verba non continentur in vocibus illis Syriacis: ſed πλεονασμικῶς inſerta ſunt ad emphaſin.

OBSERVATIONES EX CAP. V.

Quid obſervandum ſit ex parte prima, vide in Obſervat. ex Matth. 8. v. 28. & ſeq.

Quid item obſervandum ſit ex parte ſecunda & tertia, vide in Obſervat. ex Matth. 9. v. 18. & deinceps.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Partes ſunt ſex. 1. Chriſtus docet Nazarethæ. 2. Mittit Apoſtolos in terram Iſraël ad prædicandum Evangelium. 3. Judicium Herodis de Chriſto, & decollatio Johannis Baptiſtæ. 4. Chriſtus cum Apoſtolis quærit quietem in deſerto: ſed præoccupatus à populo, docet eos & cibat miraculosè. 5. Precatus in monte, ambulat ſuper mare & diſcipulis difficulter navigantibus opem fert. 6. Sanat ægrotos variis ex locis allatos.

PRIMA PARS.

Docet Nazarethæ.

ET *egreſſus eſt illinc, venitq; in patriam ſuam: & ſequuti ſunt eum diſcipuli ejus.*

2 *Quumq; advenisſet ſabbathum, cœpit in ſynagoga docere: multiq; audientes percellebantur, dicentes,* Unde huic iſta? *& quæ eſt hæc ſapientia quæ data eſt ei, quòd etiam virtutes tales per manus ejus eduntur?*

3 *Non ne iſte eſt faber ille, filius Mariæ, frater Jacobi & Joſe & Judæ & Simonis? Nonne & ſorores ejus hîc ſunt apud nos? Et offendebantur in ipſo.*

4 *Dicebat autem eis Jeſus, Non eſt Propheta inhonoratus niſi in patria ſua, & inter cognatos, & in domo ſua.*

5 *Neque potuit illic virtutem ullam edere, niſi* quòd *quum paucis ægrotis impoſuiſſet manus, ſanavit* eos.

6 *Mirabaturq; propter incredulitatem eorum: & circuibat vicos in orbem, docens.*

Primùm indicantur *comites* proficiſcentis Nazaretham, videlicet diſcipuli, v. 1. Deinde *tempus* quo docuit, videl. ſabbathum, v. 2. Tertiò *locus* ſpecialis, ſynagoga, v. eod. Quartò *effectum* doctrinæ, admiratio auditorum, & offenſio, v. 2. & 3. Offenſio illa declaratur ex eventis: quæ narrantur quatuor: 1. Quòd Chriſtus ſe defendit & conſolatur contra malitiam iſtorum, per ſententiam generalem & proverbialem, v. 4. 2. Quòd pauca illic edidit miracula, v. 5. 3. Quòd miratus fuit ipſorum incredulitatem, v. 6. 4. Quòd circuivit vicos docens, v. eod.

SECUNDA PARS.

Mittit Apoſtolos ad prædicandum Evangelium.

7 *Tunc advocavit duodecim illos, cœpitq; eos mittere binos: dedit q; eis poteſtatem in ſpiritus impuros.*

8 *Et præcepit eis ut nihil ſumerent ad iter, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, non æs in zona:*

9 *Sed ut calcearentur ſandaliis: & ne induerentur binis tunicis.*

10 *Et dicebat eis, Ubicunq; introieritis domum, illic manete uſquedum exeatis illinc.*

11 *Et quicunque non receperint vos, neque audierint vos; egreſſi illinc, excutite pulverem qui ſubeſt pedibus veſtris, in teſtimonium adverſus eos. Amen dico vobis, tolerabilior erit Sodomorum* conditio *ſive Gomorrhorum in die judicii, quàm urbi illius.*

12 *Egreſſi igitur* illi *prædicabant ut reſipiſcerent* homines.

13 *Et dæmonia multa ejiciebant: ungebant q; oleo multos ægrotos, & ſanabant* eos.

Primùm indicatur miſſionis *forma* conſiſtens partim in præceptis, partim in promiſſionibus. Præcepta ſunt quatuor: primùm de diſtributione proficiſcentium, ut ſcilicet eant bini, v. 7. ſecundum de rebus pertinentibus ad iter; ut maximè neceſſariis contenti, de reliquis non ſint ſoliciti, v. 8. & 9. tertium de hoſpitio, v. 10. quartum de conteſtanda pœna Dei in ingratos, v. 11. Promiſſiones

ſunt

sunt tres: prima expressa, de potestate in spiritus impuros, v. 7. secunda implicita de sufficiente victu, v. 10. tertia expressa, de pœna divina ingratorum, v. 11. Atq; hoc primum narrationis hujus membrum est, ipsa missionis forma. Secundò indicatur missionis *eventus*, videl. obedientia Apostolorum & res gestæ, v. 12. & 13.

TERTIA PARS.

Herodis judicium de Christo, & decollatio Johannis.

14 *Audivit autem* hæc *rex Herodes*, (*clarum enim factum erat nomen ejus*) *dixitq;*, *Johannes ille qui baptizabat, surrexit à mortuis, & propterea virtutes agunt in eo.*

15 *Alii dicebant, Elias est. Alii verò dicebant, Propheta est, vel quasi unus ex Prophetis illis.*

16 *Quum autem* hæc *audisset Herodes, ait, Hic est Johannes quem ego decollavi, ipse surrexit à mortuis.*

17 *Ipse enim Herodes missis* speculatoribus *prehenderat Johannem, & vinxerat eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxorem.*

18 *Dicebat enim Johannes Herodi, Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

19 *Herodias autem imminebat ei, & cupiebat eum trucidare: nec poterat.*

20 *Herodes enim metuebat Johannem, sciens eum* esse *virum justum ac sanctum, & observabat eum: auditoq; eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*

21 *Quum igitur dies opportunus adesset, quo tempore Herodes in natalitiis suis cœnam faciebat proceribus suis ac chiliarchis & primariis Galilææ:*

22 *Et introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuisset q; Herodi & iis qui simul accumbebant, rex ait puellæ, Pete à me quodcunque volueris, & dabo tibi.*

23 *Juravitq; ei, Quodcunque à me petieris, dabo tibi, usq; ad dimidium regni mei.*

24 *At illa egressa dixit matri suæ, Quid petam? illa verò dixit, Caput Johannis Baptistæ.*

25 Puella *igitur cupidè statim ad regẽ ingressa, id petiit dicens, Velim ut jam nunc des mihi in patina caput Johannis Baptistæ.*

26 *Rex autem* quamvis *tristis factus*, tamen *propter juramentum & eos qui simul accumbebant, noluit eam rejicere.*

27 *Et statim rex, missso spiculatore, imperavit ut adferretur caput ejus.*

28 *Ille verò abiit ac decollavit eum in carcere: attulitq; caput ejus in patina, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ.*

29 *Quumq; hoc audissent discipuli ejus, venerunt & sustulerunt cadaver ejus, & posuerunt in monumento.*

Primùm indicatur *occasio* judicii Herodis de Christo, videlicet fama rerum gestarum illius, v. 14. Deinde *judicium ipsum*, quòd sit Johannes Baptista qui resurrexerit à mortuis: v. 14. & 16. Hoc judicium Herodis illustratur primùm antithesi judiciorum diversorum, v. 15. deinde narratione de decollatione Johannis, v. 17. & deinceps. Cæterùm *decollatio Johannis* declaratur primùm ab occasione, deinde à causis procreantibus, postremò ab eventis. *Occasio* fuit duplex: custodia Johannis & convivium Herodis natalitium. Custodia Johannis declaratur è causis agentibus, & impulsiva. Causæ agentes indicantur, tum principales, ipse videl. Herodes: tum ministræ, satellites Herodis. Causa impulsiva fuit reprehensio Herodis propter Herodiadem uxorem fratris, qua ipse uxore utebatur, v. 17. & 18. Convivium Herodis natalitium declaratur ex adjunctis convivis, v. 21. & adjuncta saltatione filiæ Herodiadis, v. 22. quæ saltatio declaratur ex effectis, videlicet voluptate quam inde perceperunt Rex & convivæ, & promissione Herodis qua illi saltatrici promittebat se daturum quod petitura esset, v. eod. Et hæc promissio amplificatur ab adjuncto jurejurando, & speciali mentione doni maximi, v. 23. Atque hæc de occasione. Jam *causæ procreantes* decollationis Johannis indicantur tum agentes, tum impulsivæ. Agentes causæ indicantur quatuor: Herodias, Herodiadis filia, Herodes, Herodis spiculator quispiam. è quibus prima ad secundam, itemque tertia ad quartam se habuit ut principalis ad adjuvantem seu ministram. Porrò causa quæ impulit spiculatorem ut Johannem decollaret, fuit mandatum Herodis,

Herodis, v. 27. Causa quæ Herodem impulit ut decollationem Johannis speculatori imperaret, fuit petitio filiæ Herodiadis, v. 25. & metus ipsius Herodis ne haberetur inconstans si non servaret jusjurandum quo filiæ Herodiadis promiserat se daturum quicquid illa esset petitura, v. 26. Hic metus & inde consequuta voluntas trucidandi Johannem, amplificatur antithesi causæ corrumpentis, videlicet, tristitiæ quam concipiebat rex ex nece illa Johannis injusta atque scelerata & dedecorosa: quæ tristitia ad tempus obstabat quò minùs in petitionem puellæ consentiret. Causa quæ impulit filiam Herodiadis ut ab Herode peteret sibi dari caput Johannis, & ex consequenti ut is decollaretur, fuit instinctus sive instigatio matris Herodiadis, v. 24. Causa quæ impulit Herodiadem ut filiam ad caput Johannis petendum instigaret, fuit odium illius & cupiditas vindictæ propter reprehensum ipsius cum Herode adulterium, v. 19. Hæc vindicta illustratur antithesi causæ corrumpentis, videlicet reverentiæ Herodis erga Johannem, v. 20. Hæc enim reverentia obstitit ad tempus cupiditati Herodiadis, ne Herodes in gratiam illius Johannem è medio tolleret. Atque hæc de causis. *Eventa* narrantur tria, 1. Caput Johannis decollati in patina allatum est à speculatore, datumque filiæ Herodiadis, v. 28. 2. Idem caput Herodiadi datum est à filia, v. eod. 3. Cadaver Johannis sepultum est à discipulis ejus, v. 29.

QUARTA PARS.

Christus cum Apostolis quærit quietem in deserto: sed præoccupatus à populo, docet eos & cibat miraculosè.

30 *Congregati sunt autem Apostoli ad Jesum, & annuntiaverunt ei omnia & quæ egerant, & quæ docuerant.*

31 *Et dixit eis, Venite vos privatim in desertum locum, & requiescite paululum. Erant enim multi venientes & abeuntes: & nec cibum quidem capere ipsis vacabat.*

32 *Abierunt igitur in desertum locum navigio seorsim.*

33 *Vidit autem eos abeuntes turba, & agnoverunt eum*

multi: & pedibus ex omnibus civitatibus concurrerunt illuc, præ-venerúntque eos, & convenerunt ad eum.

34 *Tunc egressus vidit turbam multam Jesus, & misericordiâ commotus est super eis, quoniam erant ut oves non habentes pastorem: cœpítque eos docere multa.*

35 *Quum autem jam multus dies esset, adierunt eum discipuli ejus, dicentes, Desertus est locus, & jam multus dies est:*

36 *Dimitte eos, ut profecti in circumjacentes agros & vicos, emant sibi panes. nam quo vescantur non habent.*

37 *At ille respondens dixit eis, Date vos ipsis quo vescantur. Tunc dicunt ei,* Num *ut profecti emamus ducentis denariis panes, & demus eis quo vescantur?*

38 *Ipse verò dicit eis, Quot panes habetis? abite & videte. Et* illi *re cognitâ, dixerunt, Quinque, & duos pisces.*

39 *Tunc jussit eos facere ut accumberent omnes per convivia super viridi gramine.*

40 *Accubuerunt igitur sigillatim per areolas, centeni & quinquageni.*

41 *Et acceptis quinque illis panibus ac duobus illis piscibus, suspiciens in cælum, benedixit, ac fregit panes: dedítque discipulis suis ut illis apponerent: & duos pisces partitus est omnibus.*

42 *Comederúntque omnes, & saturati sunt.*

43 *Et sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & ex piscibus.*

44 *Erant autem qui comederant, quasi quinquies mille viri.*

Quod ad *propositum quiescendi*, primùm indicatur *causa impulsiva* illius propositi Christi, videl. commemoratio laborum quibus Apostoli modò erãt perfuncti, v. 30. Deinde *propositum ipsum* exponitur, v. 31. Tum *altera causa impulsiva* indicatur, videl. concursus importuniùs interpellantium, vers. eod. Quartò narratur *propositi exequutio*, vers. 32. Quintò narratur *impedimentum exequutioni allatum*, videlicet. præoccupatio populi in eundem locum ubi Christus quietem quærebat, concurrentis, v. 33, Quod ad *actũ docendi* exponitur *causa* qua motus Christus, cœpit populum docere, videl. quòd ab ordinariis suis doctoribus non rectè instituebantur: id quod significatur similitudine ovium carentium pastore, v. 34. Quod ad *cibationem*: primùm

mùm indicatur cibationis istius miraculosæ *occasio*, videl. admonitio discipulorum de populo dimittendo ad emendum cibum, v. 35. & 36. Deinde *preparatio miraculi*, eaque triplex. primùm enim præparavit animos discipulorum, deducendo eos in agnitionem penuriæ atq; impotentiæ suæ ad cibandum populum præsentem, v. 37. deinde præparavit sibi materiam ex qua cibum populo præsenti sufficientem crearet, videl. quinq; panes & duos pisces, v. 38. tum verò præparavit animos populi, erigendo eos in spem cibationis à se futuræ, v. 39. Atque hoc est secundum hujus narrationis membrum, ipsa miraculi præparatio. Tertiò commemoratur *causa sine qua non*, quæ potest dici *impulsiva*, videlicet obedientia turbæ erga mandatum Christi, & fides erga illius promissionem in ipso mandato latentem, versu 40. Quartò narratur ipsa *miraculi forma* seu *modus agendi*: quòd scilicet Christus precibus à Patre impetrarit panem illorum ac piscium multiplicationem, quodq; eandem effecerit per fractionem ac distributionem, v. 41. Quintò narrantur *eventa*, numero tria: quòd scil. comederint, quòd saturati sint, quòd multum fragmentorum reliquum fecerint, v. 42. & 43. Postremò amplificatur miraculum indicatione *numeri* virorum qui fuerunt cibati, v. 44.

QUINTA PARS.

Precatus in monte, ambulat super mare: & discipulis difficulter navigantibus opem fert.

45 *Et statim coegit discipulos suos inscendere navigium, & præire in ulteriorem* ripam *Bethsaidæ oppositam, dum ipse dimitteret turbam.*

46 *Et quum amandasset eos, abiit in montem ad precandum.*

47 *Quum autem serum* diei *adesset, erat navigium in medio mari, & ipse solus in terra.*

48 *Viditq; eos vexari in* navigio *provehendo: (erat enim ventus eis contrarius) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans super mare: volebatq; eos præterire.*

49 *Illi verò quum viderent eum ambulantem super mare, putarunt spectrum esse: & exclamaverunt:*

50 (*Omnes enim videbant eum, & turbati sunt*) *sed statim loquutus est cum eis, & eis dixit: Confidite, ego sum, ne timete.*

51 *Tunc ascendit ad eos in navigium, quievitq; ventus: & ipsi multò magis apud sese obstupescebant, & mirabantur.*

52 *Non enim intellexerant* quod factum fuerat *illis panibus: quoniam cor eorum occalluerat.*

53 *Et quum trajecissent, venerunt in terram Genesaret: & appulerunt.*

Primùm narratur quomodo se ad precationem *præparavit*, removendo impedimenta: videlicet dimittendo primùm discipulos, deinde turbam, vers. 45. Deinde *ipsum factum* narratur, v. 46. Tertiò *occasio ambulationis super mare*, quia scilicet discipuli jam in navi discesserant, vers. 47. Quartò *causa impulsiva* qua motus ambulavit super mare, videl. quia vidit discipulos vexari in navi provehenda propter ventum contrarium, vers. 48. Quintò *tempus* quo ambulavit, nempe circa quartam vigiliam noctis, vers. eodem. Sextò *adjuncta simulatio præterundi*, v. eodem. Septimò *eventa*, alia ex aliis consecuta, numero octo, hoc ordine:

1 Opinio spectri, v. 49.
2 Perturbatio seu metus, v. 50.
3 Exclamatio, v. 49.
4 Consolatio Christi, v. 50.
5 Conscensio navis, v. 51.
6 Quies venti, v. 51.
7 Vehemens admiratio: v. 51. quæ illustratur ex causa per se, v. 52.
8 Appulsio in terram Genesaret, v. 53.

SEXTA PARS.

Sanat ægrotos variis ex locis allatos.

54 *Tunc ipsis egressis è navigio, statim agnito eo,*

55 *Quum percurrissent totam illam circumjacentem regionem, cœperunt in grabatis male affectos circumferre ubi audiebant eum esse.*

56 *Et quocunque introisset in vicos, aut urbes, aut agros, in foris*

foris ponebant ægrotos, & precabantur eum ut vel fimbriam pallii ipsius tangerent: & quotquot tangebant eum, servabantur.

Primùm indicatur *causa cur ægrotos ad Jesum attulerint*: nempe quia eum agnoverunt. Recordati igitur fuerunt quòd jam multos sanasset, quodque in illis sanandis facilem sese præbuisset: ac proinde crediderunt illum istos quoque ægrotos sanare posse, & conceperunt spem quòd sanaturus eos esset si ad sanandum offerentur, v. 54. Secundò indicatur *adjunctum studium* in ægrotis afferendis, quòd percurrerint totam circumjacentem regionem & ægrotos in grabatis circumtulerint ad omnia ea loca ubi audiebant Jesum (successive scilicet) esse: vers. 55. Quod ipsum per tres species declaratur in principio v. 56. nempe quòd posuerint ægrotos in foris, quocunque introisset Jesus in vicos, aut urbes, aut agros. Tertiò indicatur *causa impulsiva sanationis*, hoc est quæ Christum impulit ad sanandum illos: nempe preces tum offerentium, tum ipsorum ægrotorum, vers. 56. Quartò indicatur *modus agendi* seu *forma miraculosæ sanationis*, videlicet quòd sanati sint per contactum fimbriæ Jesu, v. eodem.

SCHOLIA IN CAP. VI.

1 *In patriam suam.* εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ. Id est, in urbem Nazareth, ubi fuerat educatus. De hac esse sermonem, percipitur ex versu 3.

2 *Quòd etiam &c.* ὅτι καὶ &c. Pro: καὶ πόθεν τοῦτο, ὅτι δυνάμεις &c. Et unde hoc quòd virtutes tales per manus ejus eduntur? Ellipsis supplenda ex collatione præcedentium. *Virtutes.* δυνάμεις. Id est, miracula. Metonymia efficientis & synecdoche generis. Nam nomine δυνάμεως, id est, virtutis vel potiùs potentiæ, intelligitur primò potentia divina: deinde potentiæ illius effectum, nempe miraculum.

3 *Frater.* ἀδελφὸς. Id est, cognatus. Sic mox, *Sorores*, ἀδελφαὶ, id est, cognatæ. Vide scholia in Matth. 13.

5 *Virtutem.* δύναμιν. Id est, miraculum: ut versu 2. Ibid. οὐδεμίαν. In Græco est gemina negatio ex more linguæ.

Nisi quòd. εἰ μὴ. Deficit conjunctio ὅτι. *Sanavit.* ἐθεράπευσε. Ad verb. Curavit. Pro, ἰάσατο. Metonymia effecti destinati καταχρηστική. neque enim artem θεραπευτικὴν exercuit Dominus ad sanandum: sed sanavit verbo, atque adeò nutu divinæ suæ potentiæ.

6 *Circuibat.* περιῆγε. Ad verb. Circumducebat. scilicet seipsum. Phrasis Græca.

7 *Binos.* Δύο δύο. Ad verb. Duos duos. Oratio distributiva. *Potestatem in spiritus.* ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων. Ad verb. Potestatem spirituum: id est, exercendam in spiritus. Genitivus subjecti occupantis.

8 *Ad iter.* εἰς ὁδόν. Seu, in viam. *Non æs.* μὴ χαλκόν. Id est, nummos: sive ex ære, sive ex auro argentóve: ut colligitur ex Matthæo. Metonymia materiæ, & synecdoche speciei. *In zona.* εἰς τὴν ζώνην. Pro, ἐν τῇ ζώνῃ. Scil. κομιζόμενον, gestari solitum. Enallage & ellipsis.

9 *Sed ut calcearentur sandalis.* ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια. Vide scholia in Matth. 10. v. 10. Ad verb. sonat: Sed ut subligarentur sandalia: quod usitatiùs dicitur, Sed ut subligarent sandalia. Sic Actor. 12. v. 8. Angelus in carcere dicebat Petro: *Præcingere, & subliga sandalia tua.* ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Sandalia igitur erant genus calceamenti quod pedibus subligabatur. Syrus Σανδάλια reddidit סוליא talaré: quam vocem videtur mutuatus esse à Latinis, qui nominant talaria, quæ Græci πέδιλα: eò quòd talis annectebantur.

10 *Illinc.* ἐκεῖθεν. Id est, ex illo vico vel urbe.

11 *Et quicunque non receperint.* καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται. Pro, καὶ εἴ τινες ἂν μὴ δέξωνται. Sermo αἰακολουθῶν: quippe quum antecedens enuntiati sit personæ tertiæ, consequens verò secundæ. *In testimonium adversùs eos.* εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. Pro, εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς: ut habet Lucas cap. 9. v. 5. Porrò sensum horum verborum vide in scholiis in Matth. 10. v. 14.

14 *Rex.* ὁ βασιλεύς. A Matthæo nominatur ὁ τετραάρχης. Vide scholia nostra in Matth. 14. v. 1. *Ejus.* αὐτοῦ. Nempe Jesu. *Virtutes.* αἱ δυνάμεις. Id est, vis edendi miracula.

15 *Quasi unus ex Prophetis illis.* ὡς εἷς τῶν προφητῶν. Scil. antiquis

antiquis illis: qui vixerunt temporibus regum & deinceps: quales fuerunt Jesaias, Jeremias, & reliqui.

16 *Hic est Johannes quem ego decollavi.* ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτός ἐστιν. Ad verb. Quem ego decollavi Johannem, hic est. Enallage casus, qualis in illo: *Urbem quam statuo, vestra est.*

17 *Missis* spiculatoribus. ἀποστείλας. Supple σπεκουλάτορας, ex collatione versiculi 27. Dicebantur autem spiculatores Romanâ voce, satellites qui spicula gerebant ad defendendum corpus principis.

21 *Proceribus suis.* τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ. Vel, magnatibus.

23 *Usque ad demidium regni mei.* ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου. Hoc annexum est per amplificationem, in hanc sententiam: Si vel dimidium regni mei à me peteres, daturus tibi essem. Quasi dicat: Quantò magis daturus tibi sum, si petas aliquid minus? Ratiocinatio est ἀπὸ τοῦ ἥττονος, id est, ab eo quod minùs videtur inesse.

25 *Cupidè.* μετὰ σπουδῆς. Ad verb. Cum studio seu festinatione. *Velim.* Θέλω. Volo: id est, peto. *Jam nunc.* ἐξ αὐτῆς. Subaudi. ὥρας. Id est, Ex hoc ipso temporis momento.

26 *Tristis.* περίλυπος. Alii, Valde tristis. Vide Scholia in Matth. 26. v. 38. Quamvis *tristis factus.* περίλυπος γενόμενος. Pro, καί περ περίλυπος γενόμενος. Est enim hîc vis enuntiati discretivi, vel potiùs occupativi. *Propter jusjurandū & eos qui simul accumbebant.* διὰ τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς συνανακειμένους. Hoc potest bifariam accipi: vel simpliciter, ut indicentur duæ causæ quæ Herodem impulerint ad satisfaciendum petitioni puellæ: una, religio jurisjurandi; altera, metus ignominiæ ex opinione inconstantiæ quã concepturi fuissent proceres, nisi jusjurandum servasset. Vel possunt ista accipi per figuram Grammaticam ἑνδιάδυο: ut tantùm una causa significetur, videlicet metus ille ignominiæ: quasi dicatur, Propterea quòd juraverat audientibus proceribus suis qui simul accumbebant: ac proinde metuebat, ne ab illis haberetur levis & inconstans, si violaret jusjurandum. Posterior sententia probabilior videtur. non enim est probabile, Herodem motum fuisse religione jurisjurandi. nam si cordi ei fuisset religio

ſeu pietas: facilè intellexiſſet, ſe ad impium jusjurandum non teneri: ac proinde maluiſſet hominibus videri leuis, quàm reipſa committere ſcelus in occidendo homine quem ipſe habebat pro juſto & ſancto.

27 *Spiculatore.* σπεκουλάτορα. Vide ſcholion in verſum 17.

35 *Quum autem jam multus dies eſſet.* ἤδη ὥρας πολλῆς γενομένης Ad verb. Et jam horâ multâ facta, hoc eſt, Quum multum temporis diurni el apſum eſſet.

37 Num ut *profecti eamus.* ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν. Pro, θέλεις οὖν ἵνα ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν Viſne igitur ut profecti eamus. Ellipſis.

39 *Facere ut accumberent.* ἀνακλῖναι. Ad verb. Reclinare: ſed ſignificatione tranſitiva, qualis eſt apud Hæbreos conjugationis Hiphíl. Senſus igitur eſt: Juſſit eos efficere (ſcil. mandando verbis Domini) ut ſeſe reclinarent. *Per convivia.* συμπόσια συμπόσια. Ad verb. Convivia convivia. Oratio diſtributiva, ut ſuprà v. 7. δύο δύο. Subaudienda autem præpoſitio κατὰ. Sic mox. πρασιαὶ πρασιαί.

40 *Centeni & quinquageni.* ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα. Vide ſcholia in Matth. 14 v. 19.

45 *In ulteriorem* ripam *Bethſaidæ oppoſitam.* εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν. Pro, εἰς τὸ πέραν τὸ πρὸς Βηθσαϊδάν. Scil. ὄν. vel κείμενον. Ellipſis articuli. Vide ſcholia in Matth. 14. v. 22. item in Johan. 6. v. 17.

48 *Vidúque eos vexari.* καὶ εἶδεν αὐτοὺς βασανιζομένους. Pro, βασανίζωδς: Græciſmus. In navigio *provehendo.* ἐν τῷ ἐλαύνειν. Vel in *remis* impellendis. *Volebat præterire.* ἤθελε παρελθεῖν. Id eſt, ſimulabat ſe velle præterire. Metonymia ſubjecti. Confer Luc. 24. v. 28.

50 *Confidite: ego ſum: ne timete.* θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε. Pro, Confidite: nam ego ſum: ne igitur timete. Ellipſis conjunctionum, accommodata decoro ſermonis, videlicet τῇ γοργότητι, celeritati, accommodatæ ad erigendum conſternatos. *Ego.* ἐγώ Pronuntiandum cum emphaſi, propter tacitam antitheſin. Quaſi dicat, Ego ipſe: non autem ſpectrum mentiens ſpeciem meam.

56 *Ut tangerent.* ἵνα ἅψωνται. Id eſt, ut permitteret ſibi tangere. *Servabantur.* ἐσῴζοντο. Id eſt, ſanabantur.

OBSER-

OBSERVATIONES EX CAP. VI.

Quid sit discendum ex parte prima, vide in Observationibus ex Matth. 13. v. 54. & sequentibus.
Ex parte secunda. Vide Matth. 10. v. 1. & sequentibus.
Ex tertia. Vide Matth. 14. v. 1. & deinceps.
Ex quarta. Vide Matth. 14 v. 13. & deinceps.
Ex quinta. Vide Matth. 14. v. 22. & deinceps.
Ex parte sexta. Vide Matth. 14. v. 35, & 36.

ANALYSIS CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Partes sunt tres, prout tria narrantur de Christo. 1. Disputat cum Pharisæis & Scribis de cultu Dei. 2. Ejicit dæmonium ex filia mulieris Cananææ. 3. Sanat surdum quendam difficulter loquentem.

PRIMA PARS.

Disputat cum Pharisæis & Scribis de cultu Dei.

1 *Tunc congregantur ad eum Pharisæi, & quidam ex Scribis, qui venerant Hierosolymis.*

2 *Et quum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus (id est illotis) edere panes, culparunt.*

3 *Nam Pharisæi & omnes Judæi, nisi pugno laverint manus, non edunt, tenentes traditionem seniorum.*

4 *Et à foro* venientes, *nisi loti fuerint, non edunt. Et alia multa sunt quæ acceperunt tenenda, nempe lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum & lectorum.*

5 *Deinde interrogarunt eum Pharisæi & Scribæ, Quare discipuli tui non ambulant secundum traditionem seniorum, sed illotis manibus edunt panem?*

6 *Ille verò respondens dixit eis, Enimverò bene prophetavit Esaias de vobis hypocritis: ut scriptum est, Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum procul abest à me.*

7 *Frustra verò me colunt, docentes doctrinas* quæ sunt *mandata hominum.*

8 *Nam omisso mandato Dei, tenetis traditionem hominum, lotiones sextariorum & poculorum: aliaq; similia ejusmodi multa facitis.*

9 *Præterea dixit eis*, Sanè *bene abrogatis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis.*

10 *Moses enim dixit, Honora patrem tuum & matrem tuã: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.*

11 *Vos autem dicitis, Si dixerit quispiam patri vel matri, Corban* (*id est munus*) erit, *quocunque à me juvari posses: insons erit.*

12 *Nec permittitis amplius eum quicquam præstare patri suo aut matri suæ:*

13 *Abrogantes sermonem Dei traditione vestra quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis.*

14 *Præterea advocatâ totâ turbâ, dixit eis, Audite me omnes, & intelligite.*

15 *Nihil est extra hominem quod ingrediens in eum, possit eum communem reddere: sed quæ egrediuntur ex eo, illa sunt quæ communem reddunt hominem.*

16 *Si quis habet aures ad audiendum, audiat.*

17 *Et quum introisset domum*, digressus *à turba, interrogarunt eum discipuli ejus de parabola.*

18 *Tunc dicit eis, Itáne & vos intelligentiâ vacui estis? non intelligitis, quicquid extrinsecus ingreditur in hominem, non posse eum communem reddere?*

19 *Non enim ingreditur in cor ejus, sed in ventrem & in latrinam abit, purgans omnes escas.*

20 *Dicebat autem, Quod ex homine egreditur, illud communem reddit hominem.*

21 *Intus enim ex corde hominum malæ cogitationes egrediuntur, adulteria, scortationes, cædes,*

22 *Furta, avaritiæ scelera, dolus, proterwia, oculus malus, maledicta, superbia, amentia.*

23 *Omnia hæc scelera intus exeunt, & communem reddunt hominem.*

PRimùm narratur disputationis hujus *occasio*, videlicet quòd viderant Pharisæi & Scribæ quosdam ex discipulis Christi edere manibus illotis, v. 1. & 2. Hinc enim occasio-

occasionem arripuerunt, illos apud Christum criminandi: atq; ita obliquè Christum ipsum, ut qui hoc illis permitteret. Deinde exponitur *criminationis istius causa*, videlicet consuetudo Judæorum contraria, v. 3. & 4. quæ consuetudo declaratur per speciem, quòd scil. manus lavent pugno; & per causam impulsivam, quòd teneant traditionem seniorum: & per enumerationem consuetudinum similium, ut patet in textu. Tertiò recitatur *criminatio ipsa*, v. 5. Unde percipitur, Pharisæos & Scribas sensisse, Deum colendum esse per observationem traditionum humanarum: quippe quum propter istius observationis omissionem culpârint discipulos Christi, tanquam peccantes in cultum Dei. Quartò recitatur *recriminatio Christi*, qua in Pharisæis & Scribis culpat duo: hypocrisin & superstitionem. Quod crimen utrumque illustrat exemplo simili veteris populi qui vixit temporibus prophetæ Esaiæ: cujus querelam de illo populo ad istos accommodat, v. 6. & 7. Deinde superstitionem ipsorum declarat, v. 8. & sequentibus: ac nominatim demonstrat, aboleri ab ipsis quintum decalogi præceptum. Quintò recitatur *sermo Christi ad turbam*, quo eam monet, observationes Pharisaicas circa cibum superstitiosas esse: & contrà significat, quibus rebus homo verè coram Deo polluatur, v. 14. 15. & 16. Sextò *sermonem illum discipulis privatim declarat*, v. 17. & sequentibus, ubi primùm narratur istius declarationis causa impulsiva, videl. interrogatio discipulorum, v. 17. deinde istius interrogationis eventus, videl. acris discipulorum reprehensio propter stupiditatem, v. 18. Tum declaratio ipsa, v. 19. & sequentibus.

SECUNDA PARS.

Ejicit dæmonium ex filia mulieris Cananææ.

24 *Et illinc surgens abiit in confinia Tyri ac Sidonis: & ingressus domum, neminem volebat* hoc *scire: sed non potuit latere.*

25 *Quum enim de eo audisset mulier, cujus filiola habebat spiritum impurum, venit & accidit ad pedes ejus.*

26 (*Erat autem mulier Græca, Syrophœnissa genere*) *& rogavit eum ut dæmonium ejiceret ex filia sua.*

27 *Jesus autem dixit ei, Sine prius saturari liberos: non est enim bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis.*

28 *Ipsa verò respondit, & dixit ei, Etiam Domine: etenim catelli edunt sub mensa ex micis puerorum.*

29 *Tunc dixit ei, Propter istum sermonem abi: exiit dæmonium ex filia tua.*

30 *Quum autem illa abiisset domum suam, invenit dæmonium exisse, & filiam jacentem super lectum.*

Primùm indicatur *locus* ubi Christus versans, dæmonium illud ejecit, videl. in finibus Tyri & Sydonis, v. 24. idq; in quadam domo: ibidem. Deinde *causa corrumpens*, quæ videbatur isti ejectioni obstatura, nempe quòd volebat latêre: ibidem. Tertiò *occasio* quòd mater puellæ dæmoniacæ audierat Christum esse præsentem, v 25. Quartò *causa impulsiva*, videl, petitio istius mulieris, v. 25. & 26. Quintò *causa corrumpens alia*, videl recusatio Christi, v. 27. Sextò *causa impulsiva alia*, videl. perseverantia mulieris in sua petitione: ubi argumentum recusationis scitè invertit: significans, se tantam gratiam non petere quanta deberetur (nimirum ex promissione Dei) Judæis tanquam filiis: sed instar catelli, micis gratiæ ipsius contentam fore, v. 28. Septimò narratur *miraculum ipsum*, v. 29. & 30.

TERTIA PARS.

Sanat surdum quendam difficulter loquentem.

31 *Tunc regressus è finibus Tyri ac Sydonis venit ad mare Galilææ, per medios fines Decapolis.*

32 *Et offerunt ei surdum difficulter loquentem: & precantur eum ut imponat ei manum.*

33 Ipse verò quum abduxisset eum è turba privatim, indidit digitos suos in aures ejus: & quum spuisset, tetigit linguam ejus.

34 *Ac suspiciens in cælum, ingemuit, dixitq; ei, Ephphatha, quod est, Adaperitor.*

35 *Et statim adapertæ sunt ejus aures: & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.*

36 *Et interdixit eis ne cui dicerent. sed quantò magis ipse eis interdicebat, tantò magis hoc prædicabant.*

37 Et

37 *Et supra modum percellebantur, dicentes, Bene omnia fecit: facit ut & surdi audiant, & muti loquantur.*

Primùm indicatur *locus* ubi hoc miraculum factum est, videl. ad mare Galilææ, v. 31. Deinde *causa impulsiva*, nempe petitio offerentium, v. 32. Tertiò *forma seu modus agendi*, v. 33. & 34. constans membris quatuor. 1. Misit digitos in aures ejus. 2. Sputo illevit linguam ejus. 3. Suspiciens in cælum ingemuit. 4. Dixit, Ephphatha: quod est, Adaperitor. Quartò narratur *miraculum ipsum*, v. 35. Sextò *eventa* numero tria. 1. Christus interdixit ne cui dicerent, v. 36. 2. Illi contrà eò magis beneficium acceptum prædicarunt, v. 36. & 37. 3. Supra modum perculsi sunt, v. 37.

SCHOLIA IN CAP. VII.

2 *Communibus manibus.* κοιναῖς χερσί. Vide Scholia in Matt. 15. 11. *Quum vidissent edere.* ἰδόντες ἐσθίοντας. Pro, ἐσθίειν: Græcismus. *Edere panes.* ἐσθίοντας ἄρτους. Matthæus habet ἄρτον, numero singulari. Ponitur autem panis pro cibo, per synecdochen speciei Hebraicam.

5 *Non ambulant.* οὐ περιπατοῦσι. Id est, Non vivunt, non agunt, non se gerunt. Metaphora Hebraica usitatissima. *Secundum traditionem.* κατὰ τὴν παράδοσιν. Id est, ex præscripto traditionis.

6 *Bene prophetavit de vobis.* καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν. Id est, Dictum illud Esaiæ, & querimonia de hypocrisi populi sui temporis, tam bene in vos quadrat, ac si de vobis nominatim prophetatum esset. Metaphora κατάχρηστική.

9 *Sanè bene.* καλῶς. Ironice.

10 *Morte moriatur.* θανάτῳ τελευτάτω Id est, capite plectitor.

11 *Corban (id est) munus* erit, &c. Κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον &c. Vide scholia in Matth. 15. v. 5.

13 *Quam tradidistis.* ἣν παρεδώκατε. Pro, ἐκείνην ἣν παρεδώκατε. Græcismus.

15 *Communem reddere.* κοινῶσαι. Id est, polluere seu immundum reddere, scil. coram Deo, ut Deo displiceat. Sic deinceps.

21 *Intus.* ἔσωθεν. Quasi dicas, De intus, vel, Ab intus: id est, ex interioribus hominis partibus. Nam syllaba θε, notat motum de loco.

22 *Oculus malus.* ὀφθαλμὸς πονηρὸς. Id est, oculus invidus: ut Matth. 20. v. 15.

27 *Non est enim bonum.* οὐ γὰρ καλόν ἐστι. Id est, Non est æquum: vel non decet.

30 *Jacentem.* βεβλημένον. Ad verb. Jactam. Ex antecedente intelligitur consequens, ex causa efficiente effectus per metonymiam.

31 *Decapolis.* Δεκαπόλεως. Vide suprà in cap. 5. v. 20.

32 *Offerunt.* φέρουσιν. Id est, Adducunt, προσάγουσιν.

33 *Indidit.* ἔβαλε. Ad verb. Jecit. Catachresis Græca.

34 *Ephphatha.* ἐφφαθά. Vox Syriaca: quæ Hebraicis literis scribitur התפתח ethpatach.

35 *Aures.* αἱ ἀκοαὶ. Pro, τὰ ὦτα. Ad verb. Auditus, numero plurali: sive auditiones. Metonymia adjuncti vel effecti.

OBSERVATIONES EX CAP. VII.

Quid sit discendum ex parte prima, videlicet disputatione Christi cum Pharisæis & Scribis de cultu Dei: vide in Observat. ex Matth. cap. 15. à principio usque v. 22.

Quid sit discendum ex parte secunda, videlicet de ejectione dæmonii ex filia mulieris Cananææ: vide in Observationibus ex Matth. cap. 15. à v. 22. usque ad 29.

Ex parte tertia de sanato surdo, eodemque submuto, discenda sunt hæc.

Dis. Ex v. 33. Sicut iste surdus & mutus sanatus fuit non vi digitorum Christi auribus ejus immissorum, nec vi sputi quo linguam ejus illevit; sed vi potentiæ ipsius divinæ: sic fideles in fide confirmantur & beneficiorũ Christi magis magisq; participes redduntur nõ per ipsa Sacramẽta, seu vim illis insitam, externámve illorũ perceptionẽ: sed per Spiritũ sanctũ, qui testimonia illa divina efficacia reddit.

Dis. Ex v. 34. Christus Patrem oraturus, in cælum suspexit. Hic gestus nobis imitandus proponitur.

Dis. Ex iisdem verbis. Etsi Deus ubique est, tamen in cælo illo

illo summo quod gaudiis beatorum Angelorum & hominum destinatum est, dicitur esse per excellentiam: quia ibi sese beatis Angelis & hominibus plenissimè communicat & in æternum communicaturus est.

Ex iisdem verbis. Quum fieri non possit ut Christus eodem respectu à nobis adorandus sit, quo ipse Patrem adoravit: statui autem aliter per orthodoxam Fidem non possit, quàm quòd ipse Patrem adorârit ut homo, seu secundum humanam naturam: consequens est, ipsum à nobis non esse adorandum secundùm naturam humanam, sed secundùm divinam tantùm, seu quatenus Deus est. Falsum igitur dogma Ecclesiæ obtrudere conantur qui hodie contendunt, Carnem Christi adorandam esse. ut nimirum argumento à pari ducto, possint evincere id quod arctissimè tenent & unicè defendunt, Corpus Christi ubique esse.

Ex v. 35. Sicut Christus suâ gratiâ & divinâ potentiâ aures corporis aperuit huic surdo, ejusdemque muti vinculum linguæ solvit: ita etiam gratiâ suâ & divinâ potentiâ aperit aures cordium in electis, ut audiant (id est intelligant) mysteria regni Dei: & solvit linguam eorum ad prædicandum laudes Dei.

Ex v. 36. Exemplo Christi cavendum doctoribus Ecclesiæ, ne donis Dei abutantur ad ambitionem & κενοδοξίαν: sed ut modestiæ studeant. Christus enim non solùm non ambivit gloriam ex miraculis: sed etiam divulgationem illorum interdixit.

Ex v. 37. Exemplo turbæ debemus prædicare beneficia Dei in nos collata: ac nominatim, quum aperuit nobis aures cordis, & linguas solvit ut possimus quæ decent & vera atque utilia sunt, loqui de mysteriis regni Dei.

ANALYSIS CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Partes sunt sex. 1. Christus miraculosè cibat turbam. 2. Recusat signum dare Pharisæis. 3. Monet discipulos de cavendo fermento Pharisæorum & Herodis. 4. Sanat

quendam cæcum. 5. Testatur discipulis, se esse Christum: nec non se passurum & resurrecturum. 6. Hortatur discipulos ad patientiam persecutionis propter confessionem Evangelii.

PRIMA PARS.

Cibat turbam miraculosè.

Diebus illis, quum multa omnino turba esset, nec haberent quo vescerentur, advocavit Jesus discipulos suos, dixitq; eis,

2 *Misericordiâ commoveor erga turbam: quia jam triduum manent apud me, nec habent quo vescantur.*

3 *Quòd si dimisero eos jejunos domum suam, deficient in via. quidam enim ex eis procul venerunt.*

4 *Responderunt autem ei discipuli ejus, Unde istos quispiam possit hic satiare panibus in deserto?*

5 *Interrogavit autem eos, Quot panes habetis? Ipsi verò dixerunt, Septem.*

6 *Tunc præcepit turbæ ut discumberet humi: & acceptis septem illis panibus quum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis ut apponerent: & apposuerunt turbæ.*

7 *Habebant autem piscículos paucos: & quum benedixisset, dixit ut hos etiam apponerent.*

8 *Comederunt autem, & saturati sunt: & sustulerunt fragmentorum quæ superfuerant septem sportas.*

9 *Erant autem qui comederant, quasi quater mille: dimisitq; eos.*

PRimùm indicatur miraculi hujus *occasio* eademq; *causa procatarctica*: nempe quòd Christus animadverteret, turbam defici cibo, v. 1. 2. & 3. Secundò *præparatio* triplex. primùm præparavit animos discipulorum significatione defectus cibi, & affectus sui erga turbam: atque ita simul indicatur *causa miraculi antecedens*, προηγουμένη, videlicet misericordia Christi, v. 2. 3. & 4. Deinde præparavit materiam, videl. panes quos erat multiplicaturus, v. 5. Tum præparavit animos turbæ, præcipiendo ut discumberent, atque ita tacitè promittendo se illos cibaturum, v. 6. Tertiò narratur *ipsa miraculi forma seu modus agendi*: nempe quòd panes illos septem & piscículos paucos multiplica-

tiplicaverit per preces & fractionem ac distributionem, v. 6. & 7. Quartò narrantur miraculi *eventa* tria. 1. Comederunt. 2. Saturati sunt. 3. Sustulerunt fragmentorum sportas septem, v. 8. Postremò amplificatur miraculum à *numero* convivarum, versu 9.

SECUNDA PARS.

Recuset signum dare Pharisæis.

10 *Est statim ingressus in navigium cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.*

11 *Et venerunt Pharisæi, cœperunt q; altercari cum eo, quærentes ab eo signum è cælo, tentantes eum.*

12 *Ipse verò, quum altè ingemuisset spiritu suo, dixit, Cur natio ista signum requirit? amen dico vobis, si dabitur nationi isti signum.*

13 *Et eis relictis, ingressus rursus navigium, abiit in ulteriorem* ripam.

Primùm indicatur *locus* ubi Pharisæi signum à Christo petiverunt, videlicet in regione Dalmanutha. Deinde *petitio Pharisæorum*, illustrata ex occasione: quæ fuit altercatio cum Christo, qua scilicet contendebant, ipsum non esse Christum. Item ex adjuncto, videlicet hypocrisi petentium, quòd petiverint tentantes eum. Tertiò narratur *recusatio Christi*, amplificata ex adjunctis, videl. gemitu & querela de istorum malitia. Quartò additur *eventus*, videl discessus Christi.

TERTIA PARS.

Monet discipulos de cavendo fermento Pharisæorum & Herodis.

14 *Fuerant autem obliti discipuli sumere panes, & panem non habebant nisi unum secum in navigio.*

15 *Tunc interdixit eis, dicens, Videte, cavete à fermento Pharisæorum & fermento Herodis.*

16 *Disceptabant igitur alii adversus alios, dicentes, Panes non habemus.*

17 Id *autem quum cognovisset Jesus, dixit eis, Quid disceptatis quòd panes non habetis? nondum animum advertitis, nec in-*

telligentiâ præditi estis? adhuc stupidum habetis cor vestrum?

18 *Quum oculos habeatis, non cernitis? & quum aures habeatis, non auditis? nec meministis?*

19 *Quum quinque illos panes fregi in* hominum *quinquies mille, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei, Duodecim.*

20 *Quum autem septem illos* hominibus *quater mille, quot sportas fragmentis plenas sustulistis? Illi verò dixerunt, Septem.*

21 *Tunc dixit eis, Quomodo* igitur hæc *non intelligitis?*

Primùm indicatur admonitionis hujus *occasio*, nempe quòd Christus animadvertisset, discipulos oblitos esse sumere panes ad iter. Deinde recitatur *ipsa admonitio*. Tertiò *eventa* duo. Primùm, disceptatio discipulorũ de sensu vorborum Christi & falsa eorundem acceptio: secundum, acris reprehensio Christi qua reprehendit stuporem discipulorum; quem convincit commemoratione duorum miraculorum paulò antè editorum in turba cibanda. Quo loco ex collatione Matthæi notandum, discipulos ex illa reprehensione percepisse sensum verborum Christi, nempe quòd nomine fermenti intellexissent doctrinam.

QUARTA PARS.

Sanat quendam cæcum.

22 *Venit autem Bethsaidam: & obtulerunt ei cæcum, & precati sunt eum ut ipsum tangeret.*

23 *Tunc prehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum: & quum inspuisset in oculos ejus, imposuissetq; ei manus, interrogavit eum ecquid videret.*

24 *Qui quum oculos sustulisset, dixit, Video homines: nam cerno instar arborum ambulantes.*

25 *Deinde rursum imposuit manus oculis ejus, fecitq; ut* denuò *oculos attolleret: & restitutus est, viditq; procul & dilucidè omnes.*

26 *Tunc* Jesus *misit eum domum suam, dicens, Neque in vicum illum ingreditor, neque* hæc *dicito cuiquam in vico.*

Primùm indicatur *locus* ubi Christus istum cæcum sanavit, videlicet prope vicum Bethsaidan, v. 22. & 23. Deinde *causa impulsiva*, videl. petitio offerentium, vers. 22.

Tertiò

Tertiò *forma seu modus agendi*, constans membris sex. 1. Eduxit eum extra vicum. 2. Inspuit in oculos ejus. 3. Imposuit ei manus. 4. Interrogavit eum ecquid videret. 5. Accepto responso quòd nondum perfectè cerneret, rursùm imposuit manus oculis ejus. 6. Fecit ut oculos attolleret. Quartò narratur *miraculum ipsum*, v. 25. Postremò *eventus*: videl. præceptum Christi triplex, v. 26.

QUINTA PARS.

Testatur se esse Christum: item passurum & resurrecturum.

27 *Ingressus est autem Jesus ac discipuli ejus in vicos Cæsareæ* quæ cognominatur *Philippi*: *& in via interrogavit discipulos suos, dicens eis, Quem me dicunt homines esse?*

28 *Illi verò responderunt, Johannem Baptistam*: *& alii Eliam*: *alii verò unum ex Prophetis.*

29 *Tunc ipse dixit eis, Vos autem Quem me dicitis esse? Respondens verò Petrus dicit ei, Tu es ille Christus.*

30 *Tunc interminatus est ut nulli* id *dicerent de se.*

31 *Et cæpit eos docere quòd oporteret Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, principibusq; Sacerdotum, ac Scribis, & trucidari*: *& tertio post die resurgere.*

32 *Et apertè eum sermonem loquebatur. Tunc prehendit eum Petrus, cæpitq; objurgare eum.*

33 *Ipse verò conversus, & intuitus discipulos suos, objurgavit Petrum, dicens, Abscede à me Satana*: *nam non sapis quæ Dei* sunt, *sed quæ* sunt *hominum.*

Primùm indicatur *locus* & *tempus*, ubi & quando Dominus ista arcana discipulis patefecit, videl. in via, quum iret in vicos Cæsareæ Philippi, v. 27. Deinde narratur *præparatio* qua se ad illam patefactionem præparavit, videl. per inquisitionem de judiciis tum aliorum tum ipsorum discipulorum, v. 27. 28. 29. Tum *patefactio arcani prioris*, quæ amplificatur adjuncto interdicto patefaciendi aliis, vers. 30. Quartò *patefactio arcani posterioris*, illustrata indicatione causarum efficientium passionis, & circumstantiæ temporis resurrectionis, v. 31. nec non modi agendi, quòd videl. sermonem illum de passione sua loquutus sit

παῤῥησία, apertè & planè, nullâ usus circuitione aut parabolâ, in principio v. 32. Quintò narratur *eventus patefactionis posterioris*, videl. dehortatio Petri, v. 32. Sextò & postremò *eventus illius dehortationis*, videlicet gravissima objurgatio Domini, v. 33.

SEXTA PARS.

Hortatur discipulos ad patientiam persecutionis propter confessionem Evangelii.

34 *Et quum advocasset turbam cum discipulis suis, dixit eis, Quicunque vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.*

35 *Nam quisquis voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam suam causâ meâ & Evangelii, is servabit eam.*

36 *Quid enim profuerit cuipiam si lucratus fuerit mundum totum, & animâ suâ mulctetur?*

37 *Aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ?*

38 *Nam quemcunq; puduerit mei ac meorum sermonum in natione ista adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.*

Primùm innuitur *occasio* hujus hortationis, per ipsam narrationis seriem: videlicet falsa opinio Petri de regno Christi, quam patefecerat per illam dehortationem ab adeunda passione. Deinde proponitur *ipsa hortatio*, ibi, *Quicunq; vult me sequi*. Tertiò subjungitur hortationis *confirmatio* ab effectis: videl. tum ab effectu noxio abnegationis, tum ab effectu salutari confessionis. v. 35. Effectũ abnegationis est exitium æternum; effectũ confessionis, est salus æterna. Exitium æternũ primùm amplificatur collatione bonorum terrenorum tanquam minorum, v. 36. & 37. Deinde declaratur à causa agente & illius actione judiciali, ibi, *Filium etiam hominis pudebit ejus* &c. v. 38.

SCHOLIA IN CAP. VIII.

3 *Venerunt.* ἦκον. Ad verb. veniunt. Enallage temporis: pro, ἦκον. Potest etiam verti, *venerant*: ut hæc sint verba Evangelistæ. Similis ætiologia occurrit Johan. 4. v. 9.

10 *Dalma-*

10 *Dalmanutha.* Δαλμανουθά. Nomen regionis.

11 *Quærentes.* ζητοῦντες. id est, petentes seu postulantes. *Signum.* σημεῖον. Quo scil. demonstraret, se esse doctorem à Deo missum, ac proinde doctrinam suam esse veram.

12 *Spiritu suo.* τῷ πνεύματι αὐτοῦ. Id est, animâ tuâ, seu mente suâ. *Si dabitur.* εἰ δοθήσεται. Pro, Non dabitur. Est formula jurandi Hebraica, in qua subauditur consequens connexi quo continetur imprecatio, qua quis sibi ipsi malum imprecatur. quasi dicat: Si dabitur, puniat me Deus. Interdum additur consequens generalibus verbis conceptum: Faciat mihi Deus hoc vel illud.

16 *Disceptabant.* διελογίζοντο. Scil. de sensu verborum Domini: quid sibi vellet nomine fermenti. *Panes non habemus.* ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχομεν. Id est: Dominus culpat nostram negligentiam, quòd obliti sumus nobiscum sumere panes: & submonet de periculo famis.

17 *Stupidum.* πεπωρωμένην. Obduratum, callo obductũ.

20 *Quomodo* igitur. πῶς, pro πῶς οὖν. Ellipsis conjunctionis syllogisticæ.

25 *Fecit quẽ.* ἐποίησεν Id est, jussit. Metonymia effecti. vel, synecdoche generis.

26 *Procul & dilucidè.* τηλαυγῶς. Vox Græca duarum istarum vim habet: quippe composita ex adverbio τῆλε, id est, procul, & nomine αὐγὴ. id est, splendor.

27 *Cæsareæ* quæ cognominatur *Philippi.* Καισαρείας τῆς Φιλίππου. Vide scholia in Matth. 16. v. 13.

31 *Tertio post die.* μετὰ τρεῖς ἡμέρας. Ad verb. Post tres dies.

33 *Satana.* Σατανᾶ. Vide Scholia Matth. 16. v. 23.

34 *Me sequi.* ὀπίσω μου ἐλθεῖν. Ad verb. Ponè me, vel post me, venire. Hebraismus: pro ἀκολουθεῖν μοι.

38 *In natione.* &c. ἐν τῇ γενεᾷ &c. Id est, Coram natione ista. *Quemcunque puduerit.* ὃς ἐὰν ἐπαισχυνθῇ. Pro, εἴ τις αὐ ἐπαισχυνθῇ. Sermo ἀνακόλουθος: sequitur enim, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται. quæ verba constituunt consequens connexi. Similis loquendi forma fuit suprà cap. 6. v. 11. *In gloria.* ἐν τῇ δόξῃ. Indutus quasi gloria seu majestate. *Cum angelis.* μετὰ τῶν ἀγγέλων. Comitatus angelis.

OBSERVATIONES EX CAP. VIII.

Quid discendum sit ex prima parte, videl. de turba miraculosè à Domino cibata: vide in Observationibus ex Matth. 15. à v. 32. usque ad finem capitis.

Quid sit discendum ex parte secunda, de signo Pharisæis recusato: vide in Observationibus ex Matth. 16. à principio capitis usque ad v. 5.

Quid sit discendum ex parte tertia, de cavendo fermento Pharisæorum: vide in Observationibus ex Matth. 16. à v. 5. usque ad 22.

Ex parte quarta, de sanato cæco apud Bethsaidam, discenda sunt hæc.

1. Ex v. 23. Exemplo eorum qui cæcum illum ad Dominum adduxerunt, monemur: proximo ope operâve nostrâ egenti promptè inserviendum esse. De cæcis exstat lex, ne quis illis ponat offendiculum, Levit. 19. v. 14.

2. Ex v. 23. Ex eo quòd Dominus cæcum illum miraculosè sanaturus, duxit eum extra vicum: monemur, dona Dei non esse ostentanda. Sic sanaturus filiam Jairi, solis parentibus tribusque discipulis testimonii causâ admissis, reliquos omnes repulit. Eodem pertinet, quòd v. 26. cæco mandat, ne miraculum hoc mox in vico divulget. Simile exemplum interdicti fuit suprà cap. 7. v. 36. in sanato surdo ac muto.

3. Ex v. eodem. Quomodo modus ille sanandi cæci, per sputum scilicet & manuum impositionem, faciat ad declarandum naturam Sacramentorum: vide suprà in Observatione ex v. 33. cap. 7.

Ex v. 23. 24. & 25. Ex eo quòd Dominus cæco illi visum dedit per gradus, quũ tamen posset dare in uno momento: monemur, placere illi hanc rationem observare quoq; in dando nobis visu spirituali: hoc est, in illuminandis oculis mentis nostræ ad salvificam cognitionem Dei. Quare unus quisque eâ cognitionis mensurâ contentus sit, qua Dominus eum donare dignatur: donec veniat tempus illud perfectionis, quo videbimus Deum facie ad faciem: ut loquitur Paulus 1. Cor. 13. sub finem.

Quid

Quid sit discendum ex parte quinta, de Christi scilicet persona, passione & resurrectione: vide in Observationibus ex Matth. 16. à v. 13. usque ad v. 24.

Quid discendum sit ex parte sexta, de patientia persecutionis propter confessionem Evangelii: vide in Observationibus ex Matth. 16. à v. 24 usque ad v. ult.

ANALYSIS CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Partes sunt sex. 1. Jesus transformatur. 2. Erudit discipulos de adventu Eliæ. 3. Ejicit spiritū mutum & surdum. 4. Iterum prædicit discipulis passionem suam & resurrectionem. 5. Hortatur discipulos ad humilitatem seu demissionem animi. 6. Sermonem habet ad discipulos continentem varia, ac inprimis admonitionem de scandalo.

PRIMA PARS.

Jesus transformatur.

PRæterea dixit eis, Amen dico vobis, Sunt quidam ex iis qui hic adstant qui nequaquam gustabunt mortem, usquedum viderint regnum Dei venisse cum potentia.

2 *Sexto verò post die assumit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem, & subducit eos solos in montem sublimem privatim: & transformatus fuit coram eis.*

3 *Et vestimenta ejus facta sunt coruscantia, candida valde ut nix, qualia non potest fullo in terra dealbare.*

4 *Et conspectus est eis Elias cum Mose, qui colloquebantur cum Jesu.*

5 *Tunc respondens Petrus dixit Jesu, Rabbi, bonum est nos hic esse: faciamus igitur tabernacula tria; tibi unum, & Mosi unum, & Eliæ unum.*

6 *Nec enim sciebat quid loqueretur: erant enim exterriti.*

7 *Et extitit nubes quæ inumbravit eos: venitq; vox è nube, dicens, Hic est filius ille meus dilectus, ipsum audite.*

8 *Et repentè quum circumspexissent, non amplius viderunt quenquam, nisi solum Jesum secum.*

9 *Quum verò descenderent è monte, interdixit eis ne cui*

narrarent quæ viderant, nisi quum filius hominis à mortuis resurrexisset.

10 Ipsi *igitur id continuerunt apud se, mutuò quærentes quid illud esset, A mortuis resurgere.*

PRimùm narratur adjuncta *præparatio*, videl. promissio qua Dominus istam transformationem sui promiserat, atq; ita ad illam præparaverat eos coram quibus sese transformaturus erat, v. 1. Secundò indicatur *tempus* quo transformatio ista facta fuit, v. 2. Tertiò *spectatores seu testes* coram quibus fuit facta, ibid. Quartò *locus* ubi fuit facta, ibid. Quintò *transformatio ipsa* describitur, v. 3. Sextò narratur adjuncta *appendix*, v. 4. Septimò *effectum transformationis in Petro & cæteris spectatoribus*, v. 5. & 6. Octavò *alia appendix*: eaq; gemina, Nubes & Vox è nube, v. 7. Nonò narrantur *eventa* duo: unũ, cessatio transformationis, v. 8. Alterum, interdictum de illa patefacienda, v. 9. & 10.

SECUNDA PARS.

Erudit discipulos de adventu Eliæ.

11 *Et interrogarunt eum dicentes,* At *Scribæ dicunt oportere ut Elias prius veniat?*

12 *Ipse verò respondens dixit eis, Elias quidem prius veniens, restituet omnia: & ut scriptum est de Filio hominis,* oportet *ut multa patiatur, & pro nihilo habeatur.*

13 *Sed dico vobis & Eliam venisse, & istos ei fecisse quæcunque voluerunt, sicut scriptum est de eo.*

Primùm narratur institutionis hujus *causa impulsiva*, v. 11. Deinde *institutio ipsa*, v. 12. & 13. *Causa impulsiva* fuit quæstio discipulorum: cui occasionem præbuit interdictũ Domini de visione illa transformationis sui in mõte, quatenus in illo fecit mentionem resurrectionis suæ à morte tanquam brevi futuræ. Discipuli enim etsi id non intelligerent, tamen accipiebant (ut apparet) tanquam dictum de inchoatione regni Christi: quod quum illi sibi imaginarentur fore terrenum, & aliquanto tempore antè, venturum Eliam illum Thesbitem: quærunt quomodo promissio illa Domini de brevi futura inchoatione regni sui conveniret cum doctrina Scribarũ de præcessuro adventu Eliæ.

Eliæ. Atque hæc ipsa quæstio Dominum impulit ad ipsos erudiendum, ut scil. eis errorem quem à Scribis hauserant, eximeret. Quæstionis sententia hæc est. Tu significas te brevi inchoaturum regnum tuum: attamen nondũ vênit Elias: quem tamen priùs venire oportet, ut Scribæ ex propheta Malachia tradunt. Quomodo igitur traditio Scribarum cum tua promissione convenit? Syllogismus.

Si tu ita brevi inchoaturus esses regnum tuum, sicuti promittis: oporteret jam venisse Eliam. Hunc enim priùs venturum docent Scribæ ex Malachia.

At Elias nondum vênit.

Non igitur videtur te ita brevi inchoaturum regnum tuum, sicut promittis.

Ad hanc objectionem Dominus respondet, atque ita eos de adventu Eliæ erudit. *Respondet* autem concedendo rationem propositionis; & ex consequenti propositionem ipsam: negando verò assumptionem, quatenus affirmat contrarium: tum denique significando, quis fuerit ille Elias, nẽpe Johannes Baptista: id quod innuit ex adjuncto supplicio, quod ipsum significat verbis generalibus. Cæterùm concessionem rationis propositionis amplificat collatione prophetiæ de passione Christi, tanquam similiter anteceſſura regnum illius: ut ita illis eximat opinionem de regno terreno, quasi dicat: Sicut prædictum est, Eliam venturum antequam Christus incipiat regnare: ita etiam prædictũ est, Christum passurum antequam incipiat regnare. Et sicut prophetia de adventu Eliæ est impleta: sic etiam oportet impleri prophetiam de Christi passione.

TERTIA PARS.

Ejicit spiritum mutum & surdum.

14 *Et quum venisset ad discipulos, vidit turbam multam circa eos, & Scribas cum eis altercantes:*

15 *Et statim tota turba viso eo expavit: & accurrentes salutaverunt eum.*

16 *Tunc interrogavit Scribas, Quid altercamini inter vos?*

17 *Et respondens quidam è turba, dixit, Magister, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum:*

18 *Qui ubicunque eum corripuerit, lacerat eum: ipse verò spumat, & stridet dentibus suis, & exarescit: & dixi discipulis tuis ut ejicerent, sed non valuerunt.*

19 *Ipse verò respondens ei dixit, O natio incredula, quousq; tandem apud vos ero? quousq; tandem tolerabo vos? adducite eum ad me.*

20 *Illum igitur adduxerunt ad eum. Quum autem eum vidisset, continuò spiritus discerpsit eum: & ille quum cecidisset in terram, volvebatur spumans.*

21 *Tunc interrogavit* Jesus *patrem ejus, Quantum temporis est quòd hoc accidit ei? Ipse verò ait, Ab infante.*

22 *Et sæpe eum in ignem abjecit & in aquas, ut perderet eum. Sed si quid potes, succurre nobis, misericordiâ commotus erga nos.*

23 *Jesus autem dixit ei, Si potes hoc credere,* fiet. *Omnia fieri possunt credenti.*

24 *Pater verò pueri statim clamans cum lacrymis dixit, Credo, Domine:* veruntamen *succurre in credulitati meæ.*

25 *Quum vidisset autem Jesus turbam simul accurrere, objurgavit spiritum illum impurum, dicens ei,* Tu *spiritus mute & surde, ego tibi impero, Exi ab eo, & ne amplius ingrediaris in eum.*

26 *Et quum clamasset* spiritus, *multumq; discerpsisset eum, exivit: & ille factus est quasi mortuus, adeò ut multi dicerent mortuum esse.*

27 *Jesus verò prehensâ manu ejus, erexit eum: & ille surrexit.*

28 *Et quum esset ingressus domum, discipuli ejus interrogarunt eum privatim, Cur nos non potuimus* spiritum *illum ejicere?*

29 *Ipse verò dixit eis, Hoc genus* dæmoniorum *nullâ re potest exire nisi per precationem & jejunium.*

Primùm narratur miraculi hujus *occasio*, videlicet adventus Christi in eum locum in quem dæmoniacus erat adductus, & discipulis coram turba & Scribis oblatus; qui adventus declaratur ex eventis quatuor, ut patet ex textu, v. 14. 15. 16. Deinde narrantur *causæ impulsivæ*, quæ Christum ad dæmoniacum illum liberandum moverunt: videlicet petitio gemina patris dæmoniaci, v. 17 & 22. miseria dæmoniaci, v. 18. 20. 21. 22. honos Christi, v. 19. fides patris

patris dæmoniaci, v. 23. & 24. Ista autem sic tractantur. Primùm narratur petitio patris prima quæ continet narrationem de causa cur filium adduxerit, nempe ut liberaretur à dæmonio: (id quod significat, quum ait. *Adduxi filium meum* AD TE:) deinde de filii miseria ex inhabitatione dæmonii: tum de frustraneo conatu discipulorum in illo liberando: v. 17. & 18. Deinde v. 19. narratur querela Christi de incredulitate tum istius tũ inprimis discipulorũ: unâ cum mandato de dæmoniaco ad se adducendo. unde percipitur illum honoris sui conservandi causâ dæmoniacum illum liberandum suscepisse: quum sensisset honorem suum per discipulorum incredulitatem, quæ liberationem dæmoniaci impedierat, fuisse diminutum. Tum v. 20. narratur, quomodo dæmoniacus coram Christo sit à dæmonio vexatus. Præterea miseria dæmoniaci amplificatur à diuturnitate, v. 21. à crebritate paroxysmi & periculo extremo, v. 22. Postea recitatur petitio patris secunda, ibidem. Tum promissio Christi conditionalis, si scil. credat: v. 23. Postremò professio fidei amplificata petitione confirmationis, v. 24. Atque hæc de secundo narrationis institutæ membro, videlicet de causis impulsivis miraculi istius. Tertiò narratur *modus agendi*: qui fuit imperium seu mandatum Jesũ, v. 25 Quartò narratur *miraculum ipsum*, in principio v. 26. Quintò & postremò narrantur *eventa*, numero quatuor. 1. quòd puer ille factus est quasi mortuus. 2. quòd multi putarunt esse mortuum. 3. quòd Jesus eum erexit. 4. quòd discipulis indicavit causam cur ipsi non potuerint dæmonium illud ejicere.

QUARTA PARS.

Iterum prædicit discipulis passionem suam & resurrectionem.

30 *Et illinc egressi, unà iter faciebant per Galilæam: nec volebat ut quisquam* id *sciret.*

31 *Docebat enim discipulos suos, & dicebat eis, Filius hominis traditur in manus hominum, qui trucidabunt eum: sed trucidatus, tertio die resurget.*

32 *Ipsi verò ignorabant hoc dictum, sed timebant eum interrogare.*

Primùm significatur *locus* ubi Dominus hunc sermonem ad discipulos habuit, videl. in loco aliquo Galilææ ubi erat solus cum solis, v. 30. Deinde recitatur *ipse sermo*, v. 31. Postremò narrantur *eventa* duo: 1. quòd discipuli sermonem istum non intellexerunt. 2. quòd non ausi sunt dominum de illius sensu interrogare, v. 32.

QUINTA PARS.

Hortatur discipulos ad humilitatem.

33 *Venit igitur Capernaum: & quum venisset domum: interrogavit eos, Quid in via inter vos disceptabatis?*

34 *Ipsi verò siluerunt: nam alii adversus alios disseruerant in via, quis* esset cæteris *major.*

35 *Et quum consedisset, vocavit duodecim illos, & dixit eis, Si quis vult primus esse, esto omnium ultimus, & omnium minister.*

36 *Et acceptum puerulum statuit in medio eorum: eoq; in ulnas recepto, dixit eis,*

37 *Quisquis* vel *unum ex talibus puerulis exceperit in nomine meo, me excipit: & quicunque me exceperit, non me excipit, sed eum qui misit me.*

Primùm narratur *locus* ubi hic sermo est habitus. Deinde *occasio*, tũ *hortatio ipsa*. Locus fuit domus Jesu in urbe Capernaüm. Occasionem Christo ad hanc hortationem præbuit contentio discipulorum de primatu, v. 33. & 34. Hortatio ipsa constat partim verbis, v. 35. partim facto singulari, v. 36. & 37. Factum illud vim habet partim docendi, partim hortandi ad humilitatẽ. Docet proposito exemplo pueruli, cui debeant sese conformare, quoad animi demissionem. Hortatur argumento effecti utilis: quatenus ostendit, gestu & verbis, puerulum illum alios q̃, illi similes sibi charos esse. Gestu, quatenus illum amplectitur: verbis, quatenus significat, se & patrem benefacturos iis qui talibus puerulis benefecerint. Illo autem gestu & illis verbis innuit, adultos quoque talibus puerulis similes, sibi charos esse, ac proinde se illis benefacturum.

SEXTA

SEXTA PARS.

Sermonem habet ad discipulos continentem varia, & inprimis admonitionem de scandalo.

38 *Respondit autem ei Johannes, dicens, Magister, vidimus quendam per nomen tuum ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos: & prohibuimus eum, quia non sequitur nos.*

39 *Jesus autem ait, Ne illum prohibete. nullus enim est qui edat virtutem per nomen meum, & possit citò maledicere mihi.*

40 *Nam qui non est contra nos, pro nobis est.*

41 *Quisquis enim potum dederit vobis,* vel *poculum aquæ in nomine meo,* id est *quòd sitis Christi, amen dico vobis, nequaquam perdiderit mercedem suam.*

42 *Et quisquis offenderit unum ex parvis istis qui credunt in me, bonum esset ei potiùs si circumponeretur saxum molare circa collum ejus, & projiceretur in mare.*

43 *Quòd si manus tua facit ut tu offendas, abscinde eam: bonum est tibi ad vitam ingredi mancum,* potiùs *quàm duas manus habentem abire in gehennam, in ignem illum inextinguibilem:*

34 *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

35 *Et si pes tuus facit ut tu offendas, abscinde eum: bonum est tibi ingredi in vitam claudum,* potiùs *quàm duos pedes habentem, projici in gehennam, in ignem illum inextinguibilem:*

46 *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

47 *Et si oculus tuus facit ut tu offendas, erue eum: bonum est tibi introire in regnum Dei luscum,* potiùs *quàm duos oculos habentem projici in gehennam ignis:*

48 *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

49 *Nam omnis* homo *igne salietur: & omnis oblatio sale salietur.*

50 *Bonus est sal: si verò sal insulsus redditus fuerit, quonam ipsum condietis? habete in vobis ipsis salem, & pacem colite inter vos mutuò.*

Sermo hic in *sex membra* distinguendus videtur.

1. *Monet discipulos ne prohibeant quendam qui ejiciebat dæmonia in nomine ipsius & tamen ipsos non sequebatur:*

cui monitioni occasionem præbuit indicatio Johannis, vers. 38. Estque confirmata rationibus duabus: quarum prior continetur vers. 39. posterior vers. 40. 2. *Significat quàm chari sibi sint discipuli sui*; tantopere scilicet ut benefacere velit iis qui ipsis benefecerint. Estque sententia illa amplificata ratiocinatione à minori: Etiam poculum aquæ compensabo: quantò magis beneficia majora? Est etiam confirmata illa promissio asseveratione, ubi dicit: *Amen dico vobis*. Denique exornata est metaphorâ, ubi compensationem beneficii nominat mercedem, vers. 41. 3. *Monet non offendendos parvulos, id est, pueros*. Quæ monitio confirmata est duobus argumentis. prius est, quòd in ipsum credant: posterius, quòd qui tales offenderint; æternum exitium sibi accersant: id quod significatur collatione exitii corporalis, tanquam minoris. Porrò exitium corporale per certam speciem significatur, ut patet in textu: v. 42. 4. *Monet, resistendum pravis cupiditatibus quæ se in membris corporis exserunt*; ut manu, pede, oculo: argumentum adhibens ab effectis, videlicet tum effectu utili, nempe adeptione vitæ æternæ, si quis monitioni pareat: tum effectu noxio, videlicet exitio æterno, nisi quis pareat. Hęc monitio trimembris est: primum membrum est de manu, v. 43. & 44. secundum de pede, v. 45. & 46. tertium de oculo, v. 47. & 48. Estque amplificata metaphorâ hyperbolicâ, quatenus jubet abscindere illa membra (manum scilicet, pedem & oculum) si sint offendiculo: id est, si prava cupiditas sese in illis exserat, & hominem impellat ad abutendum illis membris contra legem Dei. quo significat resistentiam illam veteri homini perinde dolere, ac dolet membri alicujus abscissio. Argumenta autem singula illustrata sunt collatione imparium in contrariis qua minus malum cum majore & majus bonum cum minore comparatur; videlicet mutilatio corporis adjunctam habens vitam æternam, cum integritate corporis adjunctum habente exitium æternum. Porrò exitium æternum significatur metaphorâ duplici, videlicet ignis & vermis: nisi ignis propriè accipiendus sit. Denique exornantur

nantur singulæ istæ tres monitiones symploce, eâque geminâ. nam & ipsæ monitiones & rationes singulis subjectæ, similibus verbis enuntiantur: & monitionum quoq; singularum tum antecedens, tum consequens. 5. *Monet (ut videtur) de utilitate crucis, atq; ita obliquè ad crucis tolerantiam hortatur.* Crucem autem sive persecutionem significat vocabulo metaphorico *Ignis*: utilitatem verò crucis significat verbo *saliendi*: ideo (ut videtur) quòd sicut sale caro tum conservatur ne putrescat, tum conditur ut sit suavis gustatu: ita persecutione homines pii exerceantur in considerandâ Dei ira adversus peccatum, ac proinde caveant ne securè viventes, in peccato quasi putrescant: sed contrà justitiæ studentes, Deo placeant, & tanquam suaves ac jucundi sint. Simul quoque significari videtur metaphorâ salis, crucem instar salis mordere. Hæc monitio illustratur simili, videl. oblatione legali, tanquam hujus rei typo. 6. *Hortatur discipulos ad studium conservandi in sese sapientiam cælestem, & pacem sive concordiam.* Priorem hortationem confirmat ab effectis: quatenus significat, ipsos hoc modo fore instar salis bonos atq; utiles ad condiendum suâ institutione alios: contrà verò si ipsi insusi sint, sale scilicet sapientiæ cælestis destituti, fore ut de salute ipsorum actum sit: sicut actum est de sale insulso, seu quod saporem amisit: quum nihil sit quo possit condiri. Ad pacem verò postremo loco hortatur, quia contentio ipsorum de primatu paulò antè præcesserat.

SCHOLIA IN CAP. IX.

5 *Faciamus igitur.* κὴ ποιήσωμεν. Pro, ποιήσομεν ἂν. Conjunctio copulativa pro syllogistica, ex consuetudine Hebræorum.

8 *Non amplius viderunt quenquam nisi Jesum &c.* οὐκέτι εἶδον εἰ μὴ τὸν Ἰησοῦν, &c. Hîc ἀλλὰ ponitur pro εἰ μὴ: quibus particulis utitur Matthæus. Sicut aliâs vicissim εἰ μὴ ponitur pro ἀλλὰ.

10 *Ipsi igitur id continuerunt.* κὴ τὸν λόγον ἐκράτησαν. Ad verb. Et sermonem hunc seu verbum hoc continuerunt. Conjunctio copulativa pro syllogistica: & verbum pro

re: ex Hebraismo.

11 At *Scribæ dicunt*. ὅτι λέγουσιν οἱ γραμματεῖς. Conjunctio ὅτι servit mimesi seu prosopopœiæ. Conjunctionem verò adversativam supplevi perspicuitatis causâ: quia discipuli his verbis contradicunt sententiæ pronuntiatæ à Christo, quòd se oporteat à mortuis resurgere, idque (ut ipsi sententiam istam intellexerant) propediem. Hoc autem videbatur eis non convenire cum doctrina Scribarum ex Malachia, quòd oporteat Eliam priùs venire quàm Christus incipiat regnare. Videntur autem sic collegisse: Si tu propediem esses resurrecturus atque inchoaturus regnum tuum: oporteret Eliam jam venisse. Id enim Scribæ ex Malachia docent oportere Eliam ante Christum venire. At Elias nondum venit. Non igitur propediem es resurrecturus &c. Hæc contradictio apud Matthæum significatur particulis syllogisticis, πῶς οὖν. Quid igitur, quasi dicant: Si tu propediem esses resurrecturus: non igitur debebant dicere Scribæ, oportere ut Elias primùm veniat. At illi hoc rectè dicunt: quia scilicet dicunt ex propheta. Ergo non videtur ita esse ut dixisti, te propediem resurrecturum. Potest autem eodem manente sensu hîc quoque verti, *Cur* igitur *dicunt*. Ita nimirum ut ante conjunctionem ὅτι subaudiantur hæc verba, πῶς οὖν ἐστὶν: Quid igitur est (scil. causæ) quòd dicunt. Et sanè ista ellipsis necessariò statuitur infrà v. 28.

12 *Elias quidem priùs veniens &c.* Ἠλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον &c. His verbis concedit approbationem propositionis connexæ, atque ita propositionem ipsam. *Et ut scriptum est &c.* καὶ πῶς γέγραπται &c. His verbis illustrat & amplificat sententiam concessam antithesi rei diuersæ: quasi dicat: Sed interim hoc quoque ex Scriptura tenendum est, fore ut Christus patiatur antequam incipiat regnum suum. *De filio hominis*. ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Ad verb. Super filium hominis. Hebraismus. Sic enim Hebræi utuntur præpositione עַל hál, id est, super. Oportet *ut multa patiatur*. ἵνα πολλὰ πάθῃ. Subaudiendum verbum δεῖ, ex collatione versus undecimi: ubi habetur,

tur, Ἠλίας δεῖ ἐλθεῖν.

13 *Sed dico, &c.* ἀλλὰ λέγω &c. His verbis contradicit assumptioni. *Sicut scriptum est de eo.* καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν. Scilicet ipsum venturum ante adventum Christi. Ad hoc enim membrum ista clausula restringenda videtur: quum de altero, videl. supplicio Johannis, nihil (quod sciam) scriptum reperiatur. *De eo.* ἐπ' αὐτόν. Ad verb. Super eum: ut versu præcedente.

14 *Ad discipulos.* πρὸς τοὺς μαθητάς. Nempe reliquos præter illos tres, cum quibus habuit sermonem præcedentem.

17 *Quidam.* εἷς. Ad verb. Unus. Sic Syrus ܚܕ chád: sic nos. *Ad te.* πρός σε. Id est, huc, ut offerrem eum tibi sanandum. *Spiritum mutum.* πνεῦμα ἄλαλον. Hoc est: Spiritum impurum qui illum reddit mutum. Metonymia effecti.

18 *Et dixi discipulis tuis.* καὶ εἶπον τοῖς μαθηταῖς σου. Id est, rogavi discipulos tuos. Synecdoche generis. *Sed non valuerunt.* καὶ οὐκ ἴσχυσαν. Copulativa pro adversativa.

20 *Spiritus.* τὸ πνεῦμα. Spiritus ille qui ipsum possidebat Articulus est ἀναφορικὸς.

21 *Ab infante.* παιδιόθεν. Vel, à puero.

32 *Si potes hoc credere.* τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι. vel articulus τὸ, valet pronomen τοῦτο, & per trajectionem regitur à verbo πιστεῦσαι: vel valet τοῦτον τὸν λόγον, & regitur à verbo εἶπεν. Et tunc vertendum esset, *Jesus autem dixit ei illud, Si potes &c.* Vel potiùs articulus iste in vertendo esset omittendus, & interim pronomen relativum supplendum, *Jesus autem dixit ei, Si potes* hoc *credere.* Sicut aliâs in vertendo præteriri solet conjunctio ὅτι, quum servit mimesi. *Si potes hoc credere*, fiet. εἰ δυνάσαι πιστεῦσαι. Ellipsis consequentis. Neque enim putandum, consequens hujus connexi contineri verbis illis proxime-sequentibus: *Omnia fieri possunt credenti:* Quis enim rerum intelligens non videat, hoc ex illo non sequi: sed potiùs pro ratione adjungi ad probandum sententiam præcedentem, nempe istud connexum quod explevimus. Est autem ratio ducta à genere.

Omnia fieri possunt credenti: Ergo si potes hoc credere, fiet tibi. *Omnia fieri possunt.* πάντα δυνατὰ. Pro, πάντα γὰρ δυνατὰ. Omnia enim fieri possunt. Altera ellipsis, conjunctionis scilicet causalis. *Fieri possunt credenti.* δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. Sic Syrus: Omnis res potest fieri ei qui credit. Vel, *Possibilia sunt credenti:* hoc est, Effici possunt à credente: impetrando scilicet à Deo ipse efficiat. Sic passim Fidei tribuit Christus quod proprium est potentiæ diuinæ: ut quum dicit iis quos potentiâ suâ sanaverat, *Fides tua te servavit,* pro eo quod est: Fides tua à me impetravit ut te servarem sive sanarem.

24 Veruntamen *succurre.* βοήθει. Conjunctionem discretivam supplevi perspicuitatis causâ. Etenim duo enuntiata hîc cohærentia vim habent enuntiati discreti: quasi dicat: πιστεύω μὲν, ἀλλ' ὅμως βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ: Credo quidem: veruntamen succurre incredulitati meæ: quæ scil. fidei meæ admixta est, eamq; labefactat ne sit plena ac perfecta, sed valde infirma: ita ut non fides, sed potiùs incredulitas nominanda videatur.

26 *Et quum clamasset* spiritus. κράξας. Subaudiendum esse nomen πνεῦμα, id est, Spiritus: in Græco liquet ex genere participii, quod est neutrum. Et idem ampliùs liquet ex verbis sequentibus, καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτόν. quumq; multum discerpsisset eum. *Mortuum esse.* ὅτι ἀπέθανεν. Vel μεμυπικῶς, Mortuus est: redundante conjunctione ὅτι.

28 *Cur nos non potuimus &c.* ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν &c. Pro, τί ἐγὼ ὅτι &c. Quid est causæ *quòd nos non potuimus &c.* Syrus habet, למנא lemaná: quæ vox respondet Græcæ διατί. Confer suprà v. 11. Spiritum *illum.* αὐτό. Scil. τὸ πνεῦμα: ex collatione præcedentium.

29 *Nullâre.* ἐν οὐδενί. Ad verb. *In nullo:* absolutè. ἐν οὐδενὶ. Hebraismus. Sic mox, ἐν προσευχῇ: pro, διὰ προσευχῆς, per precationem.

31 *Sed trucidatus.* καὶ ἀποκτανθείς. Copulativa pro adversativa.

32 *Ignorabant.* ἠγνόουν. id est, non intelligebant. vel: Ignorabant hoc dictum, id est, hujus dicti sensum. Nam ipsum quidem dictum non poterant ignorare, quod modò

ex

ex Domini ore audiverant. Istam discipulorum ignorantiam Lucas copiâ verborum amplificat, cap. 9. v. 45. Sed quomodo cum hac ignorantia convenit quod narrat Matthæus cap. 17. v. 23. quòd discipuli sermone illo Domini audito, fuerint contristati? Unde enim fuerunt contristati, nisi quòd metuerunt Dominum occisum iri, sicut dixerat? Ergo verbum illud videntur rectè intellexisse. Respondeo: Metuerunt id quidem ex parte, idq; ex verbo *occidendi* propriè intellecto: sed non metuerunt omnino, quia dubitarunt an verbum illud propriè esset intelligendum: de hoc autem ideo dubitarunt, quia non intellexerunt naturam regni Christi: falsò sibi persuadentes, Christum non occisum iri à gente sua, sed alias gentes devicturum & suæ genti regnum mundanum recuperaturum. *Sed timebant.* καὶ ἐφοβοῦντο. Copulativa pro adversativa. Cohæret enim hoc enuntiatum cum præcedente per discretionem. quasi dicat. Non intelligebant quidem verba Domini, ac proinde cupiebant eum interrogare: sed timore retenti id omiserunt.

33 *Et quum venisset domum.* καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν οἰκίαν γενόμενος: Vel: Et quum jam domi esset: videlicet domi suæ, hoc est, in qua ipse habitabat: id quod innuit articulus.

34 *Quis* esset cæteris *major.* τίς μείζων. Scil. futurus in regno Christi. Confer Matth. 18. v. 1.

35 *Esto.* ἔσται. Ad verb. Erit. Enallage Hebraica. Sic autem reddendum, liquet ex mente loquentis: vult enim præcipere quid eis sit agendum ut consequantur primatum in regno suo. Si verò istud verbum accipiatur modo indicatiuo: sententia hæc erit denuntiatio incommodi eventus.

36 *Eóque in ulnas recepto.* καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ. Vel, Eumq; amplexatus. Græco verbo, eleganti sanè, respondet Gallicum embrasser: quod sonat quasi dicas, Imbrachiare: id est, in brachia suscipere, brachiisve complecti.

37 Vel *unum.* ἕν. Quasi dicat, Quantò magis qui plures. Neque enim hoc dictum est simpliciter: quasi diceret; unum, non autem plures: sed comparatè.

39 *Qui edat virtutem.* ὃς ποιήσει δύναμιν. Ad verb. Qui

faciet potentiam; hoc est, miraculum, opus scil. potentiæ divinæ. Metonymia efficientis.

41 Vel *poculum.* ποτήριον. Dictum comparatè, per ellipsin conjunctionis comparativæ: ut v. 37. Hoc liquet ex collatione Matth. 10. v. 42. ubi additur particula μονὸν solummodò.

42 *Bonum esset ei potiùs.* καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον. Pro, κρεῖσσον ἂν εἴν αὐτῷ, Melius esset ei.

43 *Bonum est tibi* potiùs. καλόν σοι. Scil. μᾶλλον: ut percipitur ex collatione versus præcedentis. *In ignem illum.* εἰς τὸ πῦρ. Scil. de quo sacra Scriptura docet, Esa. ult. v. ult. quiq; paratus est diabolo & angelis ejus. Matth. 25. v. 41.

44 *Non moritur.* οὐ τελευτᾷ. Ad verb. Non finit. scil. vitam. Græcismus.

OBSERVATIONES EX CAP. IX.

Quid sit discendum ex parte prima, de transformatione Domini in monte coram tribus discipulis: vide in Observationibus ex Matth. 17. à principio usque ad v. 10.

Quid sit discendum ex parte secunda, de adventu Elię: vide in Observationibus ex Mat. 17. à. v. 10. usque ad v. 14.

Quid sit discendum ex parte tertia, de ejectione spiritus muti ac surdi: vide in Observationibus ex Matth. 17. à v. 14. usq; ad v. 22. Insuper autem ex iis quæ Marcus hîc habet singularia, observanda sunt hæc.

παρ. Ex v. 20. collato cum v. 25. Si accidat ut post imploratam opem Christi, mala quibus premimur, ingravescant:
διδ. ne propterea despondeamus animum. nam Christus fidei nostræ probandæ causâ, atque insuper potentiæ suæ demonstrandæ gratiâ, ad breve tantummodò tempus istud malorum incrementum permittet, ut videmus hîc fecisse in eijciendo dæmonio ex isto muto ac surdo.

διδ. Ex v. 21. Ad veritatem naturæ humanę in Christo probandam hoc quoque argumentum pertinet, quòd ignoravit quanto tempore puer iste à dęmonio obsessus atque vexatus fuisset. Quòd autem id ignorârit, colligitur ex eo quòd de eo ex parte quæsivit. Non autem id ignoravit, quatenus deus: ergo quatenus homo. Similiter ignoravit diem

diem ultimum: item an essent fructus in arbore ficu.

Et v. 22. 23. & 24. collatis cum v. 25. Quum sentimus fidei infirmitatem seu imbecillitatẽ, ne propterea animum despondeamus, quasi Christus nos propterea sit rejecturus. Etenim paratus est opem ferre etiam iis qui ipsum ex infirma fide invocant: dummodò ista infirmitas eis displiceat, ipsíque ab ea liberari exoptent. Cujus rei illustre exemplum in istius pueri parente proponitur.

Ex v. 23. ex verbis, *Omnia possibilia sunt credenti.* Notetur vis fidei: quippe quæ à Deo impetrat omnia: nempe omnia quę non pugnant cum ipsius natura: sed faciunt ad ipsius gloriam & fidelium opem ipsius implorantium salutem. Huc pertinet dictum Christi ad discipulos quod in eádem historiâ habetur apud Matthæum cap. 17. v. 20. de grano sinapis & translatione montis.

Quid sit discendum ex parte quarta, de prædictione passionis Domini: vide in Observationibus ex Matth. 17. v. 22. & 23. Tum insuper ex iis quæ Marcus hîc recitat, à Matthæo omissa, discenda sunt hæc.

Ex v. 32. In discipulis proponitur nobis exemplum corruptionis naturæ duplex. Unum: quòd ignoramus mysterium Evangelii de æterna nostra felicitate, parta nobis per mortem Christi. Alterum: quòd pudet nos interrogare, si quid ad salutem cognitu necessarium ignoramus. De ignorantia illa testatur & Pau. 1. Cor. 2. v. 6. & dein. usq; ad finem capitis. De pudore autem isto graviter dixit Horat.

Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?

Quid sit discendum ex parte quinta, videl. sermone Domini, quo discipulos hortatus fuit ad humilitatem: vide in Observat ex Matth. 18. à principio usque ad v. 6.

Ex partis sextæ membro primo discendum est, non temere repudiandos, sed potiùs tolerandos, qui gloriam Christi labore suo promovent, etiamsi ipsi non quærant gloriam Christi, neq; illi sese addixerint, ut si qui Evangelium prædicant ventris causâ. Huc pertinet locus ille ad Philip. 1. v. 15. & deinceps, de quibusdam qui Evangelium prædicabant per invidiam & contentionem, non purè, id est, non puro atque sincero animi affectu, de qua re ait

Apostolus se gaudere, quòd scil. Christus annuntietur: etiamsi id ab istis fieret animo non recto.

Ex partis sextæ membro secundo duo discenda sunt. 1. Consolatio in egestate, si illâ premamur propter confessionem doctrinæ Christi: quòd scil. interim Christo chari simus: quippe qui remunerari vult eos qui egestati nostræ vel tenuiter succurrerit. 2. Institutio, ut illis qui propter confessionem religionis Christianæ egestatem patiuntur, promptè ac liberaliter benefaciamus: spe scil. remunerationis à Christo suo tempore percipiendæ, videl. in die judicii: ut habetur Matth. 25. v. 30. & seqq.

Quid sit discendum ex partis sextæ membro tertio, vide in Observationibus ex Matth. cap. 18. v. 6.

Quid sit discendum ex partis sextæ membro quarto, vide in Observationibus ex Matth. 18. v. 8. & 9

Ex membro quinto monemur, crucem patienter esse tolerandam: propter insignem utilitatem, quæ in Analysi est declarata.

Ex membro sexto monemur, fovendam esse in nobis singulari curâ sapientiam cælestem: ut possimus illius cómunicatione quasi condire alios, ne computrescant in peccatis. Item fovendam esse concordiam cum fratribus; ac proinde affectationem primatus ac omnino ambitionem (ut quæ discordiam parit) fugiendam.

ANALYSIS CAP. X.

ARGVMENTVM.

Novem sunt hujus capitis partes. 1. Jesus disputat cum Phariseis de diuortio. 2. Bene precatur pueruli s. 3. Respondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam. 4. Monet discipulos de periculo diviciarum. 5. Confessoribus promittit bona terrena & vitam æternam. 6. Discipulis iterum prædicit passionem suam & resurrectionem. 7. Repellit petitionem filiorum Zebedæi. 8. Dehortatur discipulos à cupiditate dominãdi, & contrà hortatur ad studium serviendi. 9. Visum dat Bartimæo.

PRIMA

PRIMA PARS.

Disputat cum Pharisæis de divortio.

ET quum illinc surrexisset, venit in fines Judææ per regionem quæ est trans Jordanem: & convenit rursum turba ad eum: & ut consueverat, rursum docebat eos.

2 Tunc accedentes Pharisæi interrogarunt eum, an liceret viro uxorem dimittere: tentantes eum.

3 Ipse verò respondens dixit, Quid vobis mandavit Moses?

4 Ipsi autem dixerunt, Moses permisit libellum absessionis scribere, & dimittere uxorem.

5 Tunc respondens Jesus dixit eis, Propter duritiem cordis vestri scripsit vobis mandatum istud.

6 A principio verò creationis, masculum & fœminam fecit eos Deus.

7 Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & agglutinabitur uxori suæ.

8 Et erunt duo illi caro una. Itaq; non sunt amplius duo, sed una caro.

9 Quod ergo Deus conjunxit, homo ne sejungat.

10 Et domi rursum discipuli ejus eâdem de re interrogarunt eum.

11 Ipse verò dixit eis, Quicunque dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur adversus eam.

12 Et, si mulier dimiserit virum suum, & nupserit alteri, mœchatur.

NArratio hæc quinque membris constat. 1. Indicatur *locus* ubi disputatio ista fuit habita, nempe in finibus Judææ. 2. *Testes* coram quibus est habita, videl. turba. 3. *Occasio*: videl. quòd Pharisæi viderent Jesum docere turbam: v. 1. 4. Narratur *ipsa disputatio*. Ac primùm quæstio à Pharisæis proposita, quæ illustratur à fine seu scopo quærentium, v. 2. Deinde responsio Christi generalis & conditionalis, nempe: Si Moses divortium mandavit, licitum est: si non mandavit, non est licitum: quæ responsio enuntiatur per interrogationem, v. 3. Tum ad illam interrogationem subijcitur responsio Pharisæorum, continens

argumentum pro quæstionis parte affirmante à testimonio atque authoritate Mosis, v. 4. Ubi notandum, responsionem Pharisæorum deflectere à quæstione proposita. Quæstio erat de divortii mandato: at illi respondent de divortii permissione, & de adjuncto mandato libelli repudii. Quare sic argumentatur. *Si Moses permisit divortium, licitum est. Ac permisit. Ergo licitum est.* Postremò subjungitur istius argumenti solutio, simulque probatio partis negantis. Solutio consistit in distinctione verbi *Permittere:* ex qua percipitur, syllogismum constare quatuor terminis propter illius verbi aliam atque aliam acceptionem. Etenim permissio aut est cum approbatione, at sine approbatione. De priore permissionis genere loquitur syllogismi propositio: de posteriore assumptio. Quippe tum demum licitum censendum est divortium, si Moses illud ita permisit, ut etiam approbârit. At permisit ille quidem, verùm non ita ut approbârit. Id quod ostendit Christus duobus argumentis: quorum unum sumptum est à fine istius permissionis, alterum à testimonio contrario. Finem permissionis divortii Mosi propositum significat v. 5. fuisse hunc, ut prospiceret atq; caveret incolumitati mulierum, quibus contigerant mariti duro corde præditi: ne si maritis non liceret illas dimittere quum cœpissent displicere, durius eas tractarent. Unde perspicitur, divortium à Mose permissum esse non quòd approbaret, sed ad evitãdum malum gravius. Alterius argmenti vis hęc est. Si Moses divortium permissione suâ approbasset: non approbasset alibi contrarium, videlicet perpetuam conjunctionem mariti & uxoris. At hanc alibi approbauit: videl. Gen. 1. & 2. ubi narrat historiam creationis primorum parentum, Adami & Evæ, & conjugii eorundem. Etenim Deus à principio creationis (ubi scil. ordinem naturæ perpetuum & legitimum conjugii exemplar instituit) fecit masculum & fœminam: nempe virum unum & mulierem unam: non autem virum unum & mulieres plures, nec mulierem unam & viros plures. quo nimirum significavit, se velle ut vir unus mulierem unam sibi conjunctam habeat perpetuò: non autem velle, ut vel simul habeat uxores

plures,

plures, vel si una semel assumpta cœperit displicere, repudiatâ illâ ducat aliam. Neutrum enim fieri à primò illo viro poterat: quum non nisi una mulier tum esset in orbe terrarum. Deinde conjunctio illa mariti & uxoris perpetua probatur testimonio Adami; quod ille spiritu prophetico, seu ex afflatu Spiritus sancti pronuntiavit, quum ei sua vxor à Deo esset adducta atque cõjuncta: nempe fore ex Dei instituto inter maritum & uxorem conjunctionem arctissimam: adeò ut maritus potiùs patrem & matrem relicturus sit quàm uxorem, v. 7. & ut unâ cum vxore futurus sit quasi una caro seu unum corpus, v 8. Ex his duobus argumentis in unum conflatis, ad extremum deducit Dominus conclusionem partis negantis, v. 9. Cujus conclusionis plenus syllogismus est hic.

Si Deus maritum & uxorem conjunxit: homini non licet illos disjungere,

At Deus illos conjunxit: ut patet ex testimonio Mosis ex Genesi citatis.

Ergo homini non licet illos disjungere.

Atque hoc quartum & præcipuum hujus narrationis membrum est, de ipsa inter Dominum & Pharisæos disceptatione. 5. Quintò & postremò narratur, *quomodo Dominus eandem doctrinam repetiverit apud discipulos*, v. 10. 11. 12.

SECUNDA PARS.

Bene precatur puerulis.

13 *Tunc obtulerunt ei pueruloſ ut tangeret eos: discipuli verò objurgabant eos qui offerebant.*

14 *Quod quum vidisset Jesus, indignatus est, & dixit eis, Sinite pueruloſ venire ad me, & ne prohibete eos: talium enim est regnum Dei.*

15 *Amen dico vobis, Quicunque non exceperit regnum Dei ut puerulus, nequaquam in id ingredietur.*

16 *Et quum accepisset eos in ulnas, impositis in eos manibus, benedixit eis.*

Primùm indicatur *causa impulsiva*, quæ Christum movit ut puerulis benediceret, id est, bene precaretur: videl. petitio offerentium: v. 13. Deinde *causa corrumpens* quæ

benedictionem istam impedire conabatur, videl. objurgatio discipulorum qua objurgabãt illos qui puerulos Christo offerebant, v. eod. Tertiò *causa promovens* qua impedimentum istud fuit remotum, nempe mandatum Christi, v. 14. Hoc mandatum annexam habet rationem à fine, in hanc sententiam.

Si talium puerorum (natorum scil. & educatorum in Ecclesia) est regnum Dei: hoc est, si illis paratum est regnum Dei: non est eis neganda benedictio, quæ scil. destinata est ad promovendum ipsos in regnum Dei.

Atqui talium puerorum (natorum scilicet & educatorum in Ecclesia) est regnum Dei.

Ergo non est illis neganda benedictio.

Hæc ratio amplificatur, v. 15. per prolepsin de impedimento ætatis: quòd scilicet puerilis ætas videatur obstare quo minùs pueri recepturi sint regnũ Dei. Id quod Christus negat: & hanc negationem amplificat collatione majoris, id est, rei magis miræ. in hanc sententiam: Tantum abest vt puerili in recipiendo regno Dei impediantur ætate: ut etiam adultos oporteat illis similes reddi in ætate (nempe quoad malitiam) si velint recipere regnum Dei. Quartò & postremò narratur v. 16. *factum ipsum*, illustratum ex adjunctis duobus, videl. duplici gestu tanquam symbolo benevolentiæ & gratiæ divinitùs conferendæ.

TERTIA PARS.

Respondet interroganti de modo acquirendi vitam æternam.

17 *Et egrediente eo* ut se daret *in viam, quidam, quum accurrisset, & accidisset ei ad genua, interrogavit eum, Magister bone, quid faciam ut vitam æternam possideam?*

18 *Jesus autem dixit ei, Cur me dicis bonum? nullus est bonus nisi unus*, nempe *Deus.*

19 *Mandata nosti, Ne mœchare, Ne occidito, Ne furare. Ne falsum testimonium dicito, Ne damno afficito* quenquam, *Honora patrem tuum & matrem.*

20 *Ille verò respondens dixit ei, Magister, hæc omnia observavi à juventute mea.*

21 Jesus

21 *Jesus autem eum intuitus, dilexit eum, & dixit ei, Unum te deficit: abi, quæcunque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me, sublata* in humeros *cruce.*

22 *Ille verò mœstus factus propter hunc sermonem, abiit dolens: habebat enim bona multa.*

Primùm narrantur *locus* & *tempus* ubi & quando colloquium istud accidit, videl. in via quum ex Judæa rediret Dominus in Galilæam, v. 17. Deinde *propositio quæstionis* à juvene quodam apud Dominum facta: quæ illustratur ex adjunctis, videl, cursu, prolapsione in genua & salutatione honorifica, v. eod. Tum subjicitur *responsum Christi*: quo primùm reprehendit formam salutationis, v. 18. deinde ad quæstionem ipsam respondet, v. 19. Reprehensio pertinet ad adulationem: ut declaravimus apud Matthæum. Quartò additur *exceptio juvenis* ad datam sibi responsionem, qua continetur gloriatio de propria pietate, v. 20. Quintò subjicitur, v. 21. *exceptio Christi* ad illam gloriationem, qua eam obliquè refutat: quatenus aliquid mandat quod sciebat adolescentem illum non facturum, nempe ut bona sua det pauperibus & sequatur ipsum sublatâ cruce. Nam certè si adolescens iste verè pius fuisset, hoc est, & Deum & proximum verè dilexisset, sicut fuerat gloriatus: promptè obedivisset isti mandato Domini, tanquam doctoris boni, sicut ipsemet fuerat professus. Cæterùm mandatum istud amplificatur annexâ promissione, qua continetur ratio mandati ab effectu utili: nempe adeptione thesauri in cœlo. Deinde idem mandatum amplificatur, v. 22. ab eventis, videl. mœstitiâ illius juvenis & discessione. Quæ ipsa eventa declarantur è causis per se, videl. juvenis istius avaritiâ & confidentiâ in bonis suis: quæ vitia significantur ex causa per accidens, videl. possessione bonorum multorum.

QUARTA PARS.

Monet discipulos de periculo divitiarum.

23 *Et quum circumspexisset Jesus, dicit discipulis suis, Quàm difficulter qui opes habent, in regnum Dei introibunt!*

24 *Discipuli verò expaverunt ad hos sermones ipsius. Jesus*

autem rursùm respondens dixit eis, Filii, quàm difficile est ut qui confidunt opibus, in regnum Dei ingrediantur!

25 *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum Dei ingredi.*

26 *Illi verò amplius percellebantur, dicentes inter sè, Et quis potest servari?*

27 *Intuitus autem eos Jesus dicit, Apud homines* hoc est *impossibile, sed non apud Deum: nam omnia possibilia sunt apud Deum.*

Primùm v. 23. narratur ipsa *monitio*, declarata ex adjuncto gestu. ubi simul ex serie narrationis percipitur monitionis istius *occasio*, videl. factum divitis istius juvenis qui nolebat in gratiam Christi sua bona dare pauperibus. Deinde v. 24. narratur monitionis istius *effectum* in discipulis, videl. pavor. Tum ibid. narratur monitionis propositæ *declaratio*, quæ constat distinctione inter causam per se & causam per accidens: quòd scilicet vitam æternam impediat possessio quidem divitiarum, per accidens: fiducia verò in illis, per se. Quartò v. 25. additur monitionis propositæ *amplificatio*, quòd scilicet divitem ingredi in regnum Dei non solùm sit difficile, sed etiam impossibile. Hæc autem ipsa impossibilitas significatur exemplo per collationem minoris: quòd scilicet minùs difficile sit camelum transire per foramen acus (quod tamen est impossibile) quàm divitem ingredi in regnum Dei. Quintò versu 26. narrantur declarationis istius *eventa* in discipulis, videl. pavor vehemens, & contradictio: quæ innuitur per quæstionem, *Et quis potest servari?* quasi dicant: Si ita esset ut tu dicis: tum aut nemo aut certè perpauci possent servari, quia scilicet aut nemo aut perpauci reperiuntur qui divitiis suis non confidant. At consequens non est. Ergo nec antecedens. Sextò & postremò versu 27. subjicitur istius *objectionis solutio*, quæ constat distinctione potentiæ seu virium è causis procreantibus. Sunt enim vires aliæ divinæ, id est à Deo donatæ ex singulari gratia: aliæ humanæ, id est, à natura homini ingeneratæ. Propositio syllogismi est vera de viribus humanis: assumptio de divinis. Quare argumentum non concludit, propter

ὁμωνυμίαν.

ὁμωνυμίαν. Itaque propositionem simpliciter (hoc est, de quibuslibet viribus ac proinde etiam de divinis intellectam, Dominus negat: & contrarium de viribus divinis seu potentiâ divina probat è sententia generali: nempe quòd Deo possibilia sint omnia. Si omnia: ergo etiam divitem introducere in regnum Dei, dando scilicet illi gratiam ne divitiis confidat, seu confidat solo Deo, divitiis autem vtatur ad gloriam Dei & proximi utilitatem.

QUINTA PARS.

Confessoribus promittit bona terrena & vitam æternam.

28 *Tunc Petrus cœpit ei dicere; Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

29 *Respondens autem Jesus, ait; Amen dico vobis, nullus est qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut liberos, aut agros meâ causâ & Evangelii,*

30 *Qui non accipiat centuplicia nunc isto tempore, domos, & fratres & sorores, & matres & liberos, & agros, cum persecutionibus, & in seculo venturo vitam æternam.*

31 *Multi autem primi, erunt vltimi: & ultimi primi.*

Primùm narratur *causa impulsiva*, quæ Dominum movit ad hanc promissionem enuntiandum, videl. sermo Petri de sua cęterorumque discipulorum obedientia in bonis suis relinquendis & ipso sequendo. Deinde v. 29. & 30. narratur *ipsa promissio*: amplificata asseveratione, ibi, *Amen dico vobis*: & enumeratione specierum, ibi. *Qui reliquerit domum aut fratres* &c. & indicatione adjunctæ copiæ, ibi, *centuplicia*: & postremò indicatione adjunctarum persecutionum, ibi, *Cum persecutionibus*. Tertiò & postremò, v. 31. occasione posterioris partis promissionis, quæ est de vita æterna, annectit Dominus *admonitionem de inopinato eventu*, eventuro scil. in hypocritis & peccatoribus manifestis: è quibus illos intelligit nomine primorum, istos verò nomine ultimorum: respiciens ad opinionem populi; cum Pharisæi, quantum vis essent hypocritæ, tamen videbantur primi in regno Dei: publicani verò

aliique tales manifesti peccatores, habebantur pro ultimis, imò pro nullis.

SEXTA PARS.

Discipulis iterum prædicit passionem suam & resurrectionem.

32 *Erant autem in via ascendentes Hierosolymam: & præibat eis Jesus, & expavescebant, & sequentes timebant. Et ipse, assumpsit rursum duodecim, cœpit eis dicere quæ sibi erant eventura:*

33 Dicens, *Ecce, ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis. & condemnabunt eum morte, tradentque eum Gentibus:*

34 *Quæ illudent ei, & flagellabunt eum, & inspuent in eum, & trucidabunt eum: sed tertio die resurget.*

Primùm indicatur *locus* ubi hæc prædictio pronuntiata fuit, videl. in via Hierosolimam versus. Deinde *occasio*, videl. ascensio Hierosolymam. Tum *causa impulsiva*, videl. metus discipulorum, ortus nimirum ex recordatione prædictionis antea factæ. Quartò *modus*, nempe quòd assumpserit illos duodecim, ut scilicet solis illa prædiceret. Quintò recitatur *ipsa prædictio*. Cujus analysin vide apud Matthæum.

SEPTIMA PARS.

Repellit petitionem filiorum Zebedæi.

35 *Tunc accedunt ad eum Jacobus & Johannes filii Zebedæi, dicentes; Magister, velimus ut quicquid petierimus, præstes nobis.*

36 *Ipse verò dixit eis, Quid me vultis vobis præstare?*

37 *Illi autem dixerunt ei, Da nobis ut unus ad dextram tuam, & alter ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua.*

38 *Jesus autem dixit eis, Nescitis quid petatis. potestis bibere poculum quod ego bibo, & baptismo quo ego baptizor, baptizari?*

39 *Ipsi verò dixerunt ei, Possumus. Jesus autem dixit eis, Poculum quidem quod ego bibo, bibetis: & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini:*

40 *Sed sedere ad dextram meam & ad sinistram meam,*

non

non est meum dare, sed dabitur *quibus paratum est.*

Primùm narratur *petitio*: eaq; tum generalis, v. 35. tum specialis, v. 37. Deinde *recusatio*, versibus reliquis. Recusatio autem quinque constat membris. Primùm reprehendit eos insciticæ; atq; ita innuit, ipsos petere rem non æquam, ac proinde se illam non daturum. Deinde proponit eis quæstionem qua ipsos insciticæ redarguit: quatenus significat, longè aliam fore suam in hoc mundo conditionem quàm ipsi sibi imaginentur: videl. se non regnaturum more mundano, sed passurum afflictiones & ignominiam: id quod duplici metaphorâ significat. Tertiò, quum illi ad quæstionem pari insciticâ respondissent affirmando, se scil. posse pati qualia Dominus passurus esset: Dominus prædicit, ita futurum, quod tamen intelligendum est cum exceptione passionis illius qua Dominus pro electis sensit iram Dei: hęc enim illi fuit peculiaris. Quartò petitionem recusat apertiùs, quatenus negat sui esse officii ut honores regni sui in quenquam conferat, in hac scilicet vita & in hoc mundo: quo significat, se nolle tales honores in istos conferre. Quintò & postremò, annectit promissionem per antithesin diversorum: affirmans, honores regni sui suo tempore, videl. post hanc vitam, idq; non in hoc mundo, sed in cælo, datum iri illis quibus sint parati, hoc est, Electis.

OCTAVA PARS.

Dehortatur discipulos à cupiditate dominandi: & contrà hortatur ad studium serviendi.

41 *Et quum* hæc *audissent* reliqui *decem, cœperunt indignari de Jacobo & Johanne.*

42 *Jesus autem quum eos advocasset, dixit eis; Scitis, eos qui videntur imperare Gentibus, dominari in eas: & qui magni sunt inter eas, potestatem exercere in eas.*

43 *Verùm non ita estò inter vos: sed quicunq; voluerit fieri magnus inter vos, estò minister vester.*

44 *Et quicunque voluerit ex vobis fieri primus, estò omnium servus.*

45 *Nam & Filius hominis non vênit ut pateretur sibi mini-*

ſtrari, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionis pretium pro multis.

Primùm narratur hortationis iſtius *cauſa impulſiva*, v. 41. deinde *hortatio ipſa*, verſibus reliquis. Cauſa quæ Dominum ad hanc exhortationem impulit, fuit ambitio diſcipulorum decem reliquorum: quam prodiderunt facto, videl. indignatione adverſus filios Zebedæi propter petitionem ab illis Domino propoſitam. Dehortatio confirmatur à diſparatis, in hanc ſententiam.

Quorum eſt dominari, eos oportet eſſe magiſtratus: non autem miniſtros verbi.

At vos non eſtis magiſtratus: ſed miniſtri verbi.

Ergo veſtrum non eſt dominari. Et per conſequens, non debetis velle dominari.

Propoſitionis ſententia præcedit, confirmata teſtimonio conſenſus Apoſtolorum, qui ſignificatur verbo *ſcitis*. Aſſumptio non eſt expreſſa: ſed innititur conjunctione adverſativa *ſi*, adhibita ipſi concluſioni: ubi dicitur, *Verùm non ita erit inter vos.* Pro eo quod eſt: Verùm vos non eſtis magiſtratus: Ergo non ita erit (hoc eſt, eſſe debet) inter vos: ut ſcilicet dominemini & poteſtatem in alios exerceatis: ex collatione verſus præcedentis. Iſti dehortationi annectitur contraria exhortatio ad ſtudium miniſtrandi, v. 43. & 44. quæ confirmatur primùm ab effectu utili, videlicet honore eventuro, v. 43. & 44. deinde ab exemplo ipſius Domini, v. 45. ubi miniſterium illius declaratur atque amplificatur ſpecie longè maximâ atque utiliſſimâ: ut patet in textu.

NONA PARS.

Viſum dat Bartimæo.

46 *Tunc veniunt Hierichuntem: eoq; egrediente ex Hierichunte, ac diſcipulis ejus & turbâ multâ, filius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat juxta viam mendicans.*

47 *Et quum audiſſet, ipſum eſſe Jeſum illum Nazarenum, cœpit clamare, & dicere; Fili David, Jeſu, miſerere mei.*

48 *Et objurgabant eum multi ut ſileret: ille verò multò magis clamabat, Fili David miſerere mei.*

49 *Tunc*

49 *Tunc Jesus quum substitisset, jussit eum vocari. Vocant igitur cæcum, dicentes ei, Confide, surge: vocat te.*

50 *Ipse verò abjecto pallio suo, quum surrexisset, venit ad Jesum.*

51 *Et respondens dixit ei Jesus, Quid vis tibi præstem? Cæcus autem ait ei, Rabboni, ut visum adipiscar.*

52 *Jesus autem dixit ei; Abi, fides tua te servavit. Statim visum igitur adeptus est: & sequebatur Jesum per viam.*

Primùm indicatur *locus* ubi hæc res gesta est, videlicet prope urbem Hierichuntem, juxta viam. Deinde *testes* seu spectatores: qui fuerunt discipuli & turba multa. Tum *conditio illius in quo miraculum est editum*, videl. quòd sederit mendicans. Quartò *occasio*, nempe quòd Bartimæus audiret adesse Jesum. Quintò *causa impulsiva*, videlicet petitio Bartimæi: amplificata ab adjuncto clamore. Sextò *causa corrumpens* sive impediens, nempe objurgatio multorum ut sileret. Septimò *iterum causa impulsiva*, videlicet perseverantia in petitione & clamore. Octavò *præparatio*, nempe quòd Jesus audito clamore substitit, jussitq; eum vocari: quòd ille vocatus, promptè ad Jesum venit: denique quòd jussus petitionem suam in specie exponit. Nonò indicatur *modus agendi*: nempe quòd Jesus jusserit illum abire, ac pronuntiarit adeptum esse quod petebat, indicatâ simul causâ istius miraculi, videl. fide Bartimæi: quæ fuit causa impulsiva, quæ Jesum movit ad visum illi dandum. Decimò narratur *ipsum miraculum*. Postremò *eventus*, nempe quòd Bartimæus ille Jesum sit sequutus.

SCHOLIA IN CAP. X.

1 *Per* regionem *quæ* est *trans Jordanem.* διὰ τῦ πέραν τῦ Ἰορδάνυ. Pro, διὰ τῦ τόπυ τῦ πέραν τῦ Ἰορδάνυ ὄντ@- ἤγυν κειμένυ: per locum qui trans Jordanem est sive jacet.

4 *Abscessionis.* ἀποστασίυ. Qui usitatè dicitur libellus repudii vel divortii.

5 *Propter duritiem cordis vestri.* πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν. Vide scholia in Matth. 19. v. 8.

6 *Eos.* ἀυτύς. Nempe primos duos homines.

8 οἱ δύο. *Duo illi*: ſcilicet homo ſeu vir & uxor ejus: ex verſu precedente. Articulus eſt ἀναφορικός. *Caro una.* εἰς σάρκα μίαν. Ad verb. In carnem unam. Hebraiſmus. Vide ſcholia Matth. 19. v. 5.

16 *Et quum accepiſſet eos in ulnas.* καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὰ. Vide ſuprà in cap. 9. v. 36. *Benedixit eis.* εὐλόγει αὐτά. Ad verb. benedixit eos. Phraſis Hebræa. Id eſt, Bene precatus eſt eis, bona à Deo illis exoptavit.

17 *Quidam.* εἷς. ut ſuprà 9. 17.

21 *Dilexit eum.* ἠγάπησεν αὐτὸν. Id eſt, Miſertus eſt illius, quòd ſcil. ſe ipſe deciperet, falsò ſibi perſuadens, ſe obſervaſſe enumerata illa Dei præcepta; ac proinde vel perfectum jam eſſe, vel certè non procul à perfectione abeſſe.

26 *Et quis.* καὶ τίς. Pro, τίς ἄν. Quis igitur. Ut in illo Virgiliano. *Et quis poſt hæc numen Junonis adoret?*

38 *Bibo.* πίνω. Id eſt, bibiturus ſum: & quidem brevi. Enallage temporis emphatica. Sic deinceps.

41 Reliqui *decem.* οἱ δέκα.

42 *Qui videntur imperare.* οἱ δοκοῦντες ἄρχειν. Quaſi dicat: Qui non tam imperant, quàm hominibus videntur imperare: quum ſolus Deus imperium in res omnes creatas perfectè habeat.

43 *Eſto.* ἔσται. Ad verb. Erit. Sic mox iterum. Vide ſuprà in cap. 9. v. 35.

49 *Confide, ſurge: vocat te.* θάρσει, ἔγειραι: φωνεῖ σε. Pro, θάρσει καὶ ἔγειραι: καὶ γὰρ φωνεῖ σε. Confide & ſurge: nam vocat te. Aſyndeton accommodatum τῇ ῥᾳδιότητι, celeritati ſermonis: quæ huic ſententiæ convenit. Simile exemplum ellipſeos vide Matt. 8. v. 25.

51 *Quid vis tibi præſtem?* τί θέλεις ποιήσω σοὶ; Pro, ἵνα ποιήσω, ut præſtem. Ellipſis conjunctionis cauſalis. Et, *Quid*, id eſt, Quid boni, ſeu beneficii. Synecdoche generis. Ut *viſum adipiſcar.* ἵνα ἀναβλέψω. Ad verb. Ut ſurſum aſpiciam. Sic mox iterum. Etenim ἀνὰ in hoc verbo videtur valere εἰς. ſicut in verbo ἀνελήφθη, infrà cap. ult. verſu penultimo: non autem iterationem, ut ſignificet, Recipere ſeu recuperare viſum, nam uſurpatur quoque de illo

cæco

cæco nato Johan. 9. v. 11. & 18. de quo tamen dici non poteſt, quòd viſum recuperarit: quippe quum illum nunquam antea habuerit.

OBSERVATIONES EX CAP. X.

Obſervationes ex parte prima, vide in commentario Matth. 19. à v. 3. uſque ad v. 10.

Ex parte ſecunda vide comment. Matth. 19. verſu 13. 14. 15.

Ex parte tertia, vide Matth. 19. à verſu 16. uſque ad 23.

Ex parte quarta vide Matth. 19. à verſu 23. uſque ad 27.

Ex parte quinta, vide Matth. 19. uſq; ad finem capitis.

Ex parte ſexta, vide Matth. 20. verſu 17. 18. & 19.

Ex parte ſeptima, vide Matth. 20. v. 20. uſque ad 24.

Ex parte octava, vide Matth. 20. à v. 24. uſque ad 29.

Ex parte nona, vide Matth. 20. à verſu 29. uſque ad finem capitis.

ANALYSIS CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Quinque in hoc capite narrantur. 1. Ingreſſus regius Chriſti in urbem Hieroſolymam. 2. Quomodo maledixerit ficui. 3. Quomodo repurgarit templum. 4. Quomodo diſcipulos hortatus ſit ad fidem & condonationem injuriarum. 5. Quomodo factum repurgationis templi defenderit.

PRIMA PARS.

Ingreſſus regius in urbem Hieroſolymam.

1 *Quum autem appropinquarent Hieroſolymæ, Bethphagè & Bethaniæ ad montem Olearum, miſit duos è diſcipulis ſuis.*

2 *Et dicit eis, Abite in vicum qui vobis eſt ex adverſo: & ſtatim ut ingrediemini in eum, invenietis pullum ligatum, ſupra quem nullus hominum ſedit: ſolvite eum & adducite.*

3 *Quòd ſi quis vobis dixerit, Cur hoc facitis? dicite, Dominus eo opus habet: & eum ſtatim huc mittet.*

4 *Abierunt autem, & invenerunt pullum ligatum apud ostium foris in bivio: & solverunt eum.*

5 *Tunc quidam eorum qui illic adstabant, dixerunt eis, Quid facitis quòd solvitis pullum.*

6 *Ipsi verò dixerunt eis prout mandarat Jesus: & illi dimiserunt eos.*

7 *Adduxerunt igitur pullum ad Jesum, & injecerunt ei pallia sua, sediteq; super eum.*

8 *Multi verò pallia sua straverunt per viam: alii autem frondes cædebant ex arboribus, & sternebant in viam.*

9 *Et qui præibant, quiq; sequebantur, clamabant dicentes; Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.*

10 *Benedictum regnum patris nostri David, quod venit in nomine Domini: Hosanna ô qui es in locis altissimus.*

11 *Et ingressus est Hierosolymam Jesus, & in templum: quumq; circumspexisset omnia, & vespertinum jam tempus esset, exivit in Bethaniam cum duodecim.*

Primùm narratur, quomodo se ad hunc ingressum *præparavit*, septem primis versibus: deinde quomodo *ingressus sit*, versibus reliquis. Præparationis summa est, quòd mutuatus est asinum quo veheretur. Hæc mutuatio declaratur expositione causarum ministrantium, quòd scilicet mutuatus sit asinum illum per duos è discipulis quos ad illum sibi adducendum misit. Hæc missio declaratur primùm à loco quò sunt missi, videl. in vicum Bethphage ad montem olearum, v. 1. & 2. Deinde à mandatis quibus instructi sunt, v. 2. & 3. Tum à mandatorum exsequutione, v. 4. 5. 6. 7. Præterea ad præparationem hæc quoque pertinent: quòd discipuli asinum adductum instraverunt suis palliis, quòdq; Dominus illi insedit, v. 7. Ingressus declaratur partim ex factis honorificis populi comitantis, v. 8. 9. 10. partim ex loco urbis in quem se contulit, v. 11. partim denique ex actionibus duabus continenter consequutis, ibid.

SECUNDA PARS.

Maledicit ficui.

12 *Et postero die quum exissent Bethania, esuriit.*

13 *Quumq;*

13 *Quumq; procul vidisset ficum habentem folia, venit* visurus *videlicet num inveniret aliquid in ea: & quum venisset ad eam, nihil invênit nisi folia: non enim erat tempus ficuum.*

14 *Tunc respondens Jesus dixit ficui, Ne amplius ex te in seculum quisquam fructum comedat. &* hoc *audierunt discipuli ejus.*

Primùm indicatur *tempus* quo Dominus ficui maledixit, nempe postridie quàm ingressus esset Hierosolymam. Deinde notatur *locus* ubi maledixit, videlicet in via qua redibat Bethania Hierosolymam. Tum *occasio*, nempe quòd esuriens quæsivit in ea fructum. Quartò *causa impulsiva*, quòd nullum in ea fructum invênit. Hæc fructuum privatio declaratur è sua causa naturali, quòd tum non erat tempus fructuum. Quintò recitatur *ipsa maledictio*. Postremò *eventus*, quòd scil. discipuli verba maledicentis audierint.

Tertia pars.

Regurgat templum.

15 *Veniunt igitur Hierosolymam. Et ingressus Jesus in templum, cœpit ejicere eos qui vendebant & emebant in templo; & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas subuertit.*

16 *Nec sinebat ut quisquam deportaret vas per templum.*

17 *Et docebat dicens eis, Nónne scriptum est, Domus mea, domus precationis vocabitur ab omnibus Gentibus? Vos autem eam fecistis speluncam latronum.*

18 *Et* hoc *audierunt Scribæ & principes sacerdotum, & quærebant quomodo eum perderent. timebant enim eum, quia tota turba percellebatur super doctrina ipsius.*

19 *Quum verò vespera esset, egressus est* Jesus *ex urbe.*

Primùm narratur *ipsa repurgatio* in tribus factis consistens, v. 15. & 16. Deinde *adjuncta doctrina* qua illius redditur ratio, à legitimo templi usu, cui præsens constitutio repugnabat, v. 17. Postremò v. 18. & 19. narrantur *eventa* tria, quorum alia ex aliis consequuta sunt, 1. quòd Scribæ & principes sacerdotũ istas Domini actiones cognoverũt. 2. quòd consultarunt de eo perdendo. Hæc cõsultatio illu-

ſtratur prolepſi qua ſignificatur cauſa cur illum non ſtatim comprehenderint: nempe quia eum timebant propter favorem populi. 3. quòd Jeſus ex urbe egreſſus eſt.

QUARTA PARS.

Hortatur diſcipulos ad fidem & condonationem injuriarum.

20 *Et manè prætereuntes viderunt ficum illam exaruiſſe radicitus.*

21 *Tunc recordatus Petrus dixit ei; Rabbi, ecce, ficus illa cui imprecatus es, exaruit.*

22 *Et reſpondens Jeſus dixit eis, Habete fidem Dei.*

23 *Amen enim dico vobis, Quicunque dixerit monti huic, tollitor & projicitor in mare: nec hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit futura quæ dicit, erit ei quicquid dixerit.*

24 *Propterea dico vobis, Quæcunque precantes petitis, credite vos acceſturos: & erunt vobis.*

25 *Et quum ſteteritis precantes, remittite ſi quid habetis adverſus aliquem: ut & Pater ille veſter qui in cælis eſt, remittat vobis lapſus veſtros.*

26 *Nam ſi vos non remiſeritis; nec Pater ille veſter qui in cælis eſt, remittet lapſus veſtros.*

Primùm narratur hortationis hujus *occaſio*, v. 20. & 21. Deinde *hortatio ipſa*, verſ. reliquis. Occaſionem Domino præbuit admonitio Petri de arefactione ficus, v. 21. Quæ admonitio ipſa quoq; declaratur è ſua occaſione, nempe arefactionis illius animadverſione, v. 20. Hortatio ad fidē continetur v. 22. 23. 24. Hortatio ad condonationem injuriarum continetur v. 25. & 26. Utraque confirmatur ex effectis. Prior ex effectis duobus: uno, quòd fide impetrentur à Deo res longè maximæ atq; adeò naturæ impoſſibiles, v. 23. altero, quòd fide impetrentur omnia, v. 24. Poſterior hortatio confirmatur item ex effectis duobus, ſed inter ſe contrariis: nempe effectu utili condonationis, v. 25. & effectu inutili non condonationis, v. 26.

QUINTA PARS.

Repurgationem templi defendit.

27 *Tunc veniunt rurſus Hieroſolymam: & quum ipſe ambularet*

bularet in templo, veniunt ad eum principes Sacerdotum, & Scribæ & seniores:

28 *Et dicunt ei, Qua potestate ista facis? & quis tibi dedit potestatem istam ut hæc facias?*

29 *Jesus autem respondens dixit eis, Interrogabo vos & ego rem quandam. Respondete igitur mihi; tunc dicam vobis qua potestate hæc faciam.*

30 *Baptisma Johannis è cælo erat, an ex hominibus? respondete mihi.*

31 *Ratiocinabantur autem apud se dicentes, Si dixerimus, E cælo: dicet, Quare ergo non credidistis ei?*

32 *Sed si dicamus, Ex hominibus: timemus populum, omnes enim sentiebant de Johanne, eum verè Prophetam fuisse.*

33 *Tunc respondentes dicunt Jesu, Nescimus. Et Jesus respondens dicit eis, Nec ego dicam vobis qua potestate hæc faciam.*

Primùm indicantur *locus* & *occasio*, & *accusatores*, v. 27. Deinde *accusatio*, v. 28. Tum *defensio*, vers. reliquis. Locus fuit templum: Occasio, ambulatio Domini in templo: Accusatores, principes sacerdotum & scribæ & seniores. Accusatio est obliqua. Quærunt enim, quis ei dederit hanc potestatem: sperantes, eum non posse demonstrare, quòd acceperit hanc potestatem vel à magistratu, vel à Deo ipso. ac proinde egisse seditiosè & contra jus, quòd ultrò in templo Dei aliquid mutare ausus sit. Et sanè quòd non accepisset illam potestatem à magistratu, satis notum erat: quòd si autem dixisset, se accepisse illam potestatem à Deo, petituri erant signum è cælo quo istud demonstraret. Meminerunt autem eum jam antea tale signum petentibus noluisse exhibere: unde sperabant, nunc quoque recusaturum: atque ita se habituros argumentum quo illum convincerent seditionis. Sed confunditur hæc illorum spes per sapientissimam Domini responsionem. Responsio autem illa constat repositione quæstionis alterius: ad quam si illi respondissent quod ipsimet verum esse judicabant, aut certè negare non audebant: inde firmiter intulisset Dominus, se templi repurgandi potestatem accepisse à Deo. Unde patet, Dominum illius quæstionis repositione non voluisse declinare.

invidiam responsionis planæ qua affirmaret, se potestatem illam accepisse à Deo: sed voluisse hoc ipsum demonstrare firmissimo argumento, quòd ipsi accusatores non poterant negare. Quærit enim de baptismate Johannis, an fuerit è cælo, id est à Deo: an ex hominibus. Si respondissent, fuisse è cælo: id quod negare non poterant, nec audebant: tum intulisset Dominus, Se igitur potestatem repurgandi templi accepisse à Deo: quippe quum Johannes, propheta scilicet à Deo missus, sibi dederit testimonium quòd ipse sit Christus. Cæterùm hæc quæstionis repositio declaratur ex eventis: nempe quòd ratiocinantes illi in utramque partem, & utrinque incommoda consequentia animadvertentes, astutè professi sint suam ignorantiam. Unde porrò evênit, ut Dominus recusaret ad ipsorum quæstionem directè respondere: optimo jure par pari referens, & malitiosam ipsorum voluntatem tacitè culpans: quòd scilicet non ideo non responderent, quòd ignorarent veritatem: sed quòd nollent eam confiteri.

SCHOLIA IN CAP. XI.

3 *Cur. τί.* Pro, *διατί.*

10 O qui es *in* locis *altissimis. ἐν τοῖς ὑψίστοις.* Vide scholia in Matth. 21. 9.

12 *Et postero* die. *τῇ ἐπαύριον.* Scil. *ἡμέρᾳ.*

13 *Aliquid. τί.* Id est, fructum aliquem, nempe ficus aliquas. Synecdoche generis.

14 *Ne amplius ex te quisquam fructum comedat. μηκέτι ἐκ σοῦ εἰς τὸν αἰῶνα μηδεὶς καρπὸν φάγοι.* Pro, Ne amplius ex te fructus nascatur: ut loquitur Matthæus. Metonymia finis pro destinato. nam fructus creat Deus ut homines iis vescantur. Est autem observandum, metonymiam hîc esse in tota phrasi.

17 *Vos autem &c. ὑμεῖς δὲ.* &c. Hactenus verba recitata per mimesin ex Esaia: nunc Dominus loquitur in sua persona, utens interim verbis Scripturæ quæ exstant apud Jeremiam.

18 *Timebant enim eum. ἐφοβοῦντο γὰρ αὐτόν.* His verbis ratio

ratio redditur, cur non ſtatim & palàm eum comprehenderint, ſed quæſierint rationem ejus perdendi callidam, ne oriretur ſeditio à populo.

20 *Prætereuntes.* παραπορευόμενοι. Scil. ficum illam, ex verbis ſequentibus. *Ficum illam.* τὴν συκῆν. Scil. cui Dominus maledixerat: ut narratum eſt paulò antè, verſ. 14. Itaque articulus eſt ἀναφορικός.

21 *Recordatus.* ἀναμνησθεὶς. Scil. imprecationis Domini, ex verbis ſequentibus.

22 *Fidem Dei.* πίστιν Θεοῦ. Id eſt, fidem qua creditur Deo. Genitivus notat ſubjectum occupans.

23 *Erit ei.* ἔσται αὐτῷ. Id eſt, Fiet ei, γενήσεται αὐτῷ. Sic mox iterum in fine verſus ſequentis.

25 *Et quum ſteteritis.* καὶ ὅταν στήκητε. Scil. in templo. Nam illum geſtum illic fuiſſe in precando uſitatum, percipitur ex parabola Luc. 18. de Phariſæo & publicano: qui uterque precans in templo dicitur ſtetiſſe. *Remittite.* ἀφίετε. Simile præceptum habetur Matth. 5. v. 23. & 24. *Lapſus.* τὰ παραπτώματα. A verbo παραπίπτω, id eſt, labor: ad verbum, Juxtà cado: videlicet juxta offendiculũ in quod quis impegit. Vide Gal. 6. v. 1.

28 *Iſta facis.* ταῦτα ποιεῖς. Id eſt, Heri iſta feciſti quæ feciſti in templo: ex collatione verſ. 15. & ſequentium, maximè 19. & 20.

29 *Reſpondete igitur mihi: tunc dicam vobis.* καὶ ἀποκρίθητέ μοι, καὶ ἐγὼ ὑμῖν. Ad verb. Et reſpondete mihi, & dicam vobis. Copulativa prior poſita eſt pro tranſitiva: poſterior verò pro relativa temporis. *Tunc dicam.* καὶ ἐρῶ. Quum ſcilicet mihi reſponderitis.

30 *Baptiſma Johannis.* τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. Id eſt, quod adminiſtravit Johannes. Genitivus adjuncti occupati.

OBSERVATIONES EX CAP. XI.

Ex parte prima, vide commentar. in Matth. cap. 21. à principio uſque ad v. 18.

Ex parte ſecunda, vide Matth. 21. v. 18. & 19.

Ex parte tertia, vide Matth. 21. v. 12. & 13.

Ex eadem parte, ex v. 18. diſcendum eſt & hoc. Hyr-

pocritas metuere homines, quum interim non metuant Deum: ut perspicuum est in istis principibus Sacerdotum & Scribis.

Ex parte quarta, vide Matth. 21. v. 20. 21. & 22.

Ex parte quinta, vide Matth. 21. à v. 23. usque ad finem capitis.

ANALYSIS CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Septem sunt hujus capitis partes. 1. Christus proponit primoribꝰ Judęorũ parabolam de colonis ingratis 2. Tentatur à Pharisęis & Herodianis quęstione de censu. 3. Oppugnatur à Sadducæis argumento contra resurrectionem mortuorum. 4. Interrogatur à quodam Scriba de primo seu maximo mandato. 5. Refutat doctrinam Scribarum de Christo, quòd nihil amplius sit quàm filius Davidis. 6. Monet cavendos Scribarum mores. 7. Prædicat oblationem viduæ pauperis.

PRIMA PARS.

Proponit parabolam de colonis ingratis.

ET *cœpit eis per parabolas dicere, Vineam plantavit quidam, & circumposuit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & elocavit eam agricolis: ac peregre profectus est.*

2 *Misitq; servum ad agricolas* suo *tempore, ut ab agricolis acciperet ex fructu vineæ.*

3 *Illi verò captum eum verberarunt, ac remiserunt inanem.*

4 *Et rursum misit ad eos alium servum: at illum lapidarunt, & caput ejus vulnerarunt, & remiserunt dedecoratum.*

5 *Et rursum alium misit: at illum trucidarunt: multosq; alios; hos quidem cædentes, illos verò trucidantes.*

6 *Quum ergò unum adhuc haberet,* nempe *filium suum dilectum; misit etiam illum ad eos ultimum, dicens, Reverebuntur filium meum.*

7 *Illi verò agricolæ dixerunt inter se, Iste est hæres: venite, trucidemus eum; & nostra erit hæreditas.*

8 Et

8 *Et captum eum trucidarunt, & ejecerunt extra veneam.*

9 *Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, & perdet agricolas, & dabit vineam aliis.*

10 *Ne hanc quidem Scripturam legistis? Quem lapidem reprobaverunt ædificatores, is factus est caput anguli:*

11 *A Domino factũ est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

12 *Studebant igitur eum prehendere: sed timuerunt turbam: norant enim eum adversus ipsos illam parabolam dixisse. Itaque emisso eo abierunt.*

PRimùm parabolam ipsam *proponit*, usque ad v. 10. Deinde illam ad primores Judæorum *accommodat*, v. 10. & 11. Postremò narrantur *eventa*, v. 12. *Parabolæ membra* sunt quatuor. Primum, studium patrisfamiliâs in plantanda & colenda vinea, v. 1. Secundum, missio servorum ac tandem ipsius filii ad petendum à colonis fructus vineæ, à versu 2. usque ad 9. Tertium, injuriæ colonorum erga illos, iisdem versibus. Quartum, pœna colonis à patrefamiliâs inferenda, v. 9. *Accommodatio parabolæ* est obscura: quia nihil aliud continet quàm recitationem dicti ex psalmo de lapide reprobato ab architectis & constituto in lapidem angularem. Quo dicto innuit Christus, se à primoribus Judæorum tanquam impium damnatum & occisum iri, & tamen se esse Christum. Cæterùm *explicatio parabolæ* est hæc. Paterfamiliâs qui vineam plantavit & colonis elocavit, est Deus pater. Vinea, est populus Dei, videl. populus Israëliticus. Coloni, sunt primores populi Dei; tum doctores, ut Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi: tũ magistratus, ut seniores seu judices. Servi quos misit paterfamiliâs, sunt prophetæ. Filius, est Filius Dei in carne manifestatus. Sicut igitur isti coloni contumeliis affecerunt & trucidarunt servos patrisfamiliâs & ipsum quoque filium: similiter se erga Prophetas & Christum gesserunt primores populi Dei. Et sicut ille Dominus vineæ colonos ingratos perditurus fuit, & vineam aliis daturus: sic Deus perditurus fuit primores sui populi, & populi sui curam commissurus Apostolis & illorum successoribus. Et sanè perditi sunt illi, quum urbs Hierosolyma per Titum eversa est. *Eventa* in primoribus populi narrantur

duo, inter se contraria: studium Christi prehendendi, & omissio illius, quod utrumq; è sua causa illustratur. Prioris causa procreans fuit: quòd intellexerunt parabolam adversus se dictam. hoc igitur ægrè ferentes, cupiverunt id ulcisci. Posterioris eventi causa procreans fuit metus turbæ, quòd scilicet metuerunt ne turba resisteret ipsis si Christum prehendere conarentur: quia turba habebat illum pro propheta, ut Matthæus meminit.

SECUNDA PARS.

Tentatur à Pharisæis & Herodianis quæstione de censu.

13 *Et miserunt ad eum quosdam è Pharisæis & Herodianis, ut eum captarent sermone.*

14 *Illi verò, quum venissent, dicunt ei; Magister, scimus te veracem esse, neque curare quenquam. non enim respicis in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces: Licet censum Cæsari dare, an non? demus, an non demus?*

15 *Ipse verò, quum sciret eorum hypocrisin, dixit eis, Quid me tentatis? proferte mihi denarium, ut videam.*

16 *Illi verò protulerunt. Tunc dicit eis, Cujus est imago ista & inscriptio? Illi verò dixerunt ei, Cæsaris.*

17 *Et respondens Jesus dixit eis, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei sunt, Deo. Et admirati sunt super eo.*

Narrationis hujus membra sunt quatuor. Primùm indicantur tentationis istius *causæ procreantes*, v. 13. Deinde narratur tentatio ipsa seu *propositio quæstionis*, v. 14. Tum *responsum Christi*, vers. 15. 16. 17. Postremò *eventus*, in fine versus 17. *Causæ procreantes* tentationis indicantur duplices: principales & adjuvantes seu ministræ. Principales tentationis hujus authores fuerunt primores populi: ministri, quidam è Pharisæis & Herodianis, ab illis ad Jesum missi. *Propositio quæstionis* constat duobus membris, præfatione & propositione ipsa: quarum hæc ex illa deducitur enthymematicè, ad significandum petitionis æquitatem, ac proinde responsum faciliùs eliciendum. Præfatio constat appellatione honorifica & laudatione: qua laudatione tribuunt illi duas insignes virtutes, amo-

rem

rem veritatis in judicando (ἀληθείαν Græci nominant) & veritatem doctrinæ de cultu Dei. Amorem illum veritatis illustrant remotione vitii contrarii, videlicet prosopolepsiæ. *Responsum Christi* constat quatuor membris: reprehensione, petitione, interrogatione & decisione quæstionis. nam primùm reprehendit illorum hypocrisin: significans, se videre quòd malo animo quæstionem istam sibi proponerent, v. 15. Deinde petit ut sibi ostendant denarium, v. eodem. id quod hoc consilio facit, ut ex illius imagine & descriptione demonstret, Judæos esse Cæsari subjectos: unde jam ultrò sequebatur decisio quæstionis', quòd scilicet deberent Cæsari censum dare. Tum v. 16. interrogat illos de denarii imagine & inscriptione: ut ex ipsorum ore eliciat confessionem suæ sub Cæsare subjectionis: ex qua pendebat quæstionis decisio: atque ita invidiam decisionis à se in adversarios sapientissimè devolvit. Postremò v. 17. ex confessione illorum decidit quæstionem affirmando: & simul occurrit objectioni de conservatione cultus divini: monens, utrumque faciendum esse: & censum Cæsari dandum, & pecuniam ad cultum Dei conservandum conferendam. Quod utrumque significat sententiâ generali sive universali. Porrò quæstionis propositæ affirmatio concluditur tali syllogismo.

Quæ jure à vobis debentur Cæsari, ea debetis Cæsari reddere, v. 17.

At census jure à vobis debetur Cæsari: quia estis illi subjecti: quippe quum utamini monetâ ab illo percussâ, & imaginem ac nomen illius præferente, v. 15. & 16.

Ergo censum Cæsari reddere debetis.

Objectio.

Si demus censum Cæsari: fraudabimus Deum suo jure: quum ista pecunia debeatur Deo ad conservationem cultus divini.

At non debemus fraudare Deum suo jure.

Ergo non debemus censum dare Cæsari.

Responsio.

Negatur propositio connexa: quatenus affirmatur, Deo nihilominus reddenda quæ Dei sunt.

Eventus fuit admiratio tentantium, & (ut Matthæus addit) omissio Domini. Itaque confusi sunt ipsi, qui Dominum confundere conabantur.

TERTIA PARS.

Oppugnatur à Sadducæis argumento contra resurrectionem.

18 *Tunc veniunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogarunt eum, dicentes,*

19 *Magister, Moses scripsit nobis ut si cujus frater mortuus sit, ac reliquerit uxorem, & filios non reliquerit; accipiat ipsius frater uxorem ejus, & excitet semen fratri suo.*

20 *Septem ergo fratres fuerunt: ac primus accepit uxorem, & moriens non reliquit semen.*

21 *Et secundus accepit eam, & mortuus est, & ne ipse quidem reliquit semen: & tertius itidem.*

22 *Denique acceperunt eam septem illi, neque reliquerunt semen: ultima omnium mortua est & mulier.*

23 *In resurrectione ergo, quum resurrexerint, cujus eorum erit uxor? nam septem illi habuerunt eam uxorem.*

24 *Tunc respondens Jesus dixit eis, Nónne propterea erratis quòd non sciatis Scripturas, neque potentiam Dei?*

25 *Postquam enim à mortuis resurrexerint; neque uxores ducunt, neque nuptum dantur sed sunt ut angeli qui in cælis sunt.*

26 *De mortuis verò, quòd suscitandi sint, non legistis in libro Mosis quomodo in rubo loquutus sit ei Deus, dicens, Ego sum Deus ille Abraham, & Deus ille Isaac, & Deus ille Jacob?*

27 *Non est Deus mortuorum deus, sed viventium. Vos ergo multum erratis.*

Primùm ponitur *Sadducæorum descriptio*, v. 18. Deinde *propositio quæstionis* qua continetur argumentum contra resurrectionem, à vers. 19. usque ad 24. Tum *responsum Christi*, quo continetur argumenti objecti solutio, & resurrectionis demonstratio, v. 24. & seq. *Descriptio Sadducæorum* sumpta est à proprio effecto (quod in illis fuit proprium à Porphyrio dictum τὸ νωῦ sive τὸ μὴ τι) videl. à proprio dogmate, quo negabant resurrectionem mortuorum.

Scopus

Scopus hujus descriptionis est, ut significetur, illos quæstionem sequentem Domino proposuisse non animo discendi, sed tentandi & confundendi, allato scilicet argumento quod ipse non posset solvere. *Quæstionis propositio* tribus membris constat: recitatione legis de successione fratrum in conjugio, v. 19. narratione facti seu casus de septem fratribus, qui unam eandemque uxorem successivè habuerant, v. 20. 21. 22. & quæstione ipsa: cujus equitas significatur adjectâ ratione. Cæterùm sermonis illius scopus fuit, concludere quòd resurrectio mortuorum non sit futura. Argumentum ducitur à consequente absurdo, ad hunc modum.

Si futura est resurrectio mortuorum: septem illi fratres habebunt simul unam uxorem.

At hoc non fiet: quia absurdum.

Ergo resurrectio mortuorum futura non est.

Connexum probatur à causa procreante, videl. jure divino: quia illi omnes ex lege uxorem illam successivè habuerant. *Responsum Christi* duobus constat membris principalibus. Primùm indicat erroris Sadducæorum causas duas, v. 24. Deinde errorem eorum refutat, ac primùm errorem argumenti. v. 25. deinde errorem ipsius dogmatis, v. 26. & 27. Erroris causæ erant, ignoratio Scripturæ & ignoratio potentiæ Dei. nam Scriptura resurrectionem fore docet, partim expressè, ut apud prophetas, partim implicitè, ut in Mose: unde Dominus demonstrationem proferet. Potentia verò Dei tanta est, ut sicut ex nihilo potuit facere omnia: sic etiam corpora hominum in nihilum redacta possit restituere pristinæ integrirati. Errorem argumenti refutat, significando dissimilem hominum à resurrectione statum à statu seculi præsentis: quo ipso negat consequentiam connexi in syllogismo Sadducæorum. Si enim in futuro seculo nulla sunt futura conjugia ergo non est consequens, ut si septem viri in hoc seculo habuerunt unam uxorem, in altero quoque eandem habituri sint. Errorem dogmatis seu conclusionis convincit demonstratione contrariæ veritatis: argumento ducto à causa procreante, videl. favore Dei æterno ergo suos fe

derator. Hic enim favor efficit ut federati Dei vivant ac beati sint, illum ipsum favorem sentiendo. Istud autem argumentum concluditur tali syllogismo.

Quorum Deus est Deus, seu quibuscum fedus gratiæ pepigit, eos necesse est vivere, ut scil. favorem illius sentiant, atque inde beati sint.

Atqui Abrahami, Isaaci & Jacobi deus est Deus, seu pepigit cum illis fedus gratiæ.

Ergo illos necesse est vivere. Idem autem est judicium de cæteris federatis, hoc est, filiis Dei universis.

Sententia conclusionis præcedit, ibi, *De mortuis verò quòd suscitandi sint.* Succedit prosyllogismus seu approbatio assumptionis à testimonio Mosis, ibi, *Non legistis in libro Mosis.* Sequitur assumptio, confirmata testimonio Dei, ibi, *Quomodo in rubo loquutus sit ei Deus &c.* Tum additur ententia propositionis v. 27. *Non est Deus deus mortuorum &c.* Postremò repetitur sententia conclusionis, ibi, *Vos igitur multum erratis.*

QUARTA PARS.

Interrogatur de maximo mandato.

28 *Et accedens quidam è Scribis, qui audierat eos disceptantes; quum sciret, eum bene illis respondisse, interrogavit eum dicens, Quodnam est primum omnium mandatum?*

29 *Jesus autem respondit ei, Primum omnium mandatorum est, Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.*

30 *Diliges igitur Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua, & ex totis viribus tuis. hoc est primum mandatum.*

31 *Et secundum illi simile; hoc est, Diliges proximum tuum ut teipsum. majus istis aliud mandatum non est.*

32 *Tunc dixit ei Scriba ille; Bene, magister, in veritate dixisti. nam unus est Deus, nec alius est præter eum:*

33 *Et diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis viribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus est quàm omnia holocautomata & sacrificia.*

34 *Tum Jesus quum vidisset eum cordatè respondisse, dixit ei, Non longè es à regno Dei. Et nemo amplius audebat eum interrogare.*

Membra

Membra principalia hujus narrationis sunt *tria:* propositio quæstionis, responsio ad quæstionem, & eventus responsionis. *In propositione quæstionis* indicatur tum quis illam proposuerit, nempe quidam è Scribis, qui à Matthæo dicitur νομικὸς, Legalis, id est, Legis interpres: tum qua occasione adductus fuerit ad proponendum, videl. quòd audierat Jesum & Sadducæos disceptantes: tum deniq; qua causa fuerit impulsus ad proponendum, nempe ut experiretur an posset ei proponere quæstionem tam difficilem ut ipse non posset bene respondere. Hic finis seu scopus significatur his verbis, quòd Scriba ille sciverit, Jesum Sadducæis *bene* respondisse. Matthæus autem scopum hunc apertiùs notat, quum dicit, quòd Scriba ille Dominum interrogârit *tentans* eum. *Responsionis* summa est: maximum mandatum esse illud Deut. 6. de dilectione Dei. Hæc responsio amplificatur collatione mandati similis (id est similiter generalis & latè patentis) de dilectione proximi, ex Levit. 19. *Eventus* narratur duplex: unus, illius Scribæ propriùs: alter, communis illi cum cæteris. Proprium illi fuit, quòd responsionem Domini approbavit, v. 32. & 33. Quæ approbatio amplificatur primùm collatione minorum, videlicet sacrificiorum, v. 33. deinde eventu, videl. approbatione Domini, v. 34. Commune illi scribæ cum cæteris fuit, quòd nemo ampliùs Jesum ausus est interrogare: quia nimirum videbant, se frustra illum tentare, quum nemo eum possit confundere.

QUINTA PARS.

Refutat doctrinam Scribarum de Christo.

35 *Et respondens Jesus dicebat, docens in templo, Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium Davidis?*

36 *Nam ipse David dixit per Spiritum sanctum, Dixit Dominus domino meo, Sede ad dextram meam, usquedum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

37 *Ipse ergo David dicit eum dominum: unde igitur filius ejus est? Et multa turba audiebat eum libenter.*

Membra istius narratiunculæ sunt *tria*: locus, ubi refutatio ista est pronuntiata, refutatio ipsa & eventus.

Quod ad *locum*, pronuntiata fuit hæc refutatio in templo: cujus rei mentione simul innuũtur auditores ad quos fuit pronuntiata, videl. tum populus, tum Scribæ & Pharisæi: quorum expressè meminit Matthæus. *Refutatio* constat hoc syllogismo.

Si David Christum dicit Dominum: non igitur est filius Davidis, scilicet tantùm, ut dicunt Scribæ.

Atqui David Christum dicit Dominum.

Ergo Christus non est filius Davidis, scil. tantùm; ut dicunt Scribæ.

Propositio, ut per se nota, omittitur. Veritas autem illius pendet à qualitate personæ Davidis, qui quum istud diceret, erat rex populi Dei, nec quenquam hominum pro domino agnoscebat. Assumptio illustratur verbis Davidis ex Psal. 110. Cæterùm partes argumentationis hoc ordine disponuntur. Primò ponitur conclusio per interrogationem θαυμαστικὴν, quæ habet vim negandi, ibi. *Quomodo dicunt.* Secundò ponitur assumptio, videl. dictum Davidis, amplificatum à causa principali, seu authore primario illorum verborum Davidis, qui fuit Spiritus sanctus, spiritus scilicet veritatis, cujus proinde testimonium omni exceptione majus est, ibi. *Nam ipse David.* Tertiò repetitur assumptio: ibi: *Ipse ergo.* Postremò repetitur conclusio, iterum per interrogationem enuntiata: ibi, *Unde igitur. Eventus* istius refutationis, necnon cæterorum sermonum paulò antè à Domino habitorum, fuit benevolentia populi auscultantis.

SEXTA PARS.

Mores Scribarum cavendos.

38 Ipse *autem dicebat eis in doctrina sua, Cavete à Scribis, qui volunt stolati ambulare, & amant salutationes in foris.*

39 *Primósque consessus in conventibus, & primos accubitus in cœnis.*

40 *Qui exedunt domos viduarum, idq; in speciem utentes longis precibus: isti auferent gravius judicium.*

Membra hujus monitionis principalia sunt *duo*: enumeratio specierum & indicatio effecti. *Species morum* vitiosorum

rum enumerantur sex: è quibus quatuor priores sub ambitione, quinta sub avaritia, postrema sub hypocrisi continetur. *Indicatio effecti* est denuntiatio pœnæ divinæ, amplificata collatione minorum: ibi, *Isti auferent.*

SEPTIMA PARS.

Prædicat oblationem viduæ pauperis.

41 *Et quum consedisset Jesus ex adverso gazophylacii, spectabat quomodo turba injiceret æs in gazophylacium. multi igitur divites injiciebant multa.*

42 *Et quum venisset quædam vidua pauper, injecit minuta duo, quod est quadrans.*

43 *Tunc* ille *quum advocasset discipulos suos, dixit eis, Amen dico vobis, vidua hæc pauper plus injecit quàm omnes qui injecerunt in gazophylacium.*

44 *Nam omnes ex eo quod ipsis redundat injecerunt: hæc verò è penuria sua injecit omnia quæ habebat, totum,* inquam, *victum suum.*

Membra hujus narrationis principalia, sunt *duo*: occasio istius prædicationis & prædicatio ipsa. *Occasio* fuit, spectatio offerentium pecuniam sacram, quorum mentio illustratur distributione gemina. nam & ipsi offerentes distribuuntur, in divites & pauperem illam viduam: & munera utrorumque distribuuntur in magna & parvum. *Prædicatio* muneris viduæ primùm illustratur mentione auditorum sive testium ad quos fuit pronuntiata, videl. ad discipulos: deinde amplificatur collatione imparium in speciem hyperbolicâ. Esset enim sententia falsa si intelligeretur simpliciter, videlicet secundùm proportionem Arithmeticam. Postremò prædicatio illa confirmatur & declaratur significatione proportionis Geometricæ: secundùm quam plùs donat qui omnem suam substantiam donat, quàm qui ex opibus amplis partem aliquam, quantumvis magnam, donat.

SCHOLIA IN CAP. XII.

4 *At illum.* κἀκεῖνον. Puto κ͵ hîc accipi adversativè, non autem copulativè vel comparativè: ac proinde non ver-

tendum, *Illum quoque.* quia non præcessit mentio lapidationis, sed tantùm verberationis. Sic mox iterum versu sequente. *Caput* ejus *vulnerârunt.* ἐκεφαλαίωσαν. Verbum κεφαλαιοῦν aliâs significat, In capita, seu summas redigere: sed hîc usurpatur novè, pro eo quod est, Caput cædere seu vulnerare. Lucas utitur verbo τραυματίζειν, quod est vulnerare.

5 *Multósque alios.* καὶ πολλοὺς ἄλλους. Scil. ad se missos malè mulctarunt: ut declarant verba sequentia.

6 *Quum ergo unum adhuc haberet*, nempe *filium suum dilectum.* ἔτι οὖν ἕνα υἱὸν ἶχεν ἀγαπητὸν αὐτοῦ. In Græco verba sunt trajecta. nam est appositio: & ad ἕνα, subaudiendum ἄνθρωπον οἰκιακὸν, hominem domesticum: ex collatione præcedentium. *Misit etiam illum ad eos ultimum.* ἀπέστειλε καὶ αὐτὸν πρὸς αὐτοὺς ἔσχατον. Id est, ultimo loco: Non enim puto hîc rectè statui trajectionem, ut vertendum sit, *Misit etiam illum ultimum ad eos:* quæ verba respondent Græcis istis: ἀπέστειλε κἀκεῖνον τὸν ἔσχατον πρὸς αὐτούς. Quum igitur ante ἔσχατον absit articulus: puto verba hæc sic construenda, ut si diceretur: Ille missus est ultimus, hoc est, ultimo loco: ἐκεῖνος ἀπεστάλθη ἔσχατος: non autem ἐκεῖνος ὁ ἔσχατος ἀπεστάλθη. Sic Syrus rectè: Et misit eum ad illos אחרות, id est, postremò.

7 *Et nostra erit &c.* καὶ ἡμῶν ἔσται. Vel: Tum nostra erit. hoc est: Nam si istud fecerimus, nostra erit hæreditas.

10 *Factus est caput.* ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν. Vide scholia in Matth. 21. v. 42.

11 *In oculis nostris.* ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. Hinc auferendum est signum interrogationis: aut certè si relinquatur, tum apponenda nota incisi post verbum ἀνέγνωτε, Legistis: & intelligendum, interrogationem ad ipsum illud verbum esse ferendum, quasi illud scriptum esset in fine hujus sententiæ: hoc modo: οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην, Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν &c. ἀνέγνωτε; Id est, Ne hanc quidem scripturam, Quem lapidem reprobaverunt &c. legistis? Ne quis putet, interrogationem pertinere ad membrum illud postremum, *Et est mirabile in oculis nostris.*

12 *Sed*

12 *Sed timuerunt.* ἀλλ' ἐφοβήθησαν. Copulativa pro adversativa. Sensum autem verborum vide in scholiis apud Matthæum. *Norânt enim.* ἔγνωσαν γὰρ. Hæc ætiologia cohæret non cum proxime-præcedente sententia, sed cum altera remotiore. *Itaque omisso &c.* καὶ ἀφέντες &c. Copulativa pro illativa seu syllogistica particula. Cohæret autem hæc illatio non cum sententia proxime-præcedente, sed altera remotiore. Est igitur in hoc versu gemina sententiarum trajectio. Genuinus ordo sic esset: καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι. ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπε. ἀλλ' ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον: καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον. Id est: Et studebant eum prehendere: notant enim, eum adversus ipsos illam parabolam dixisse. Sed timuerunt turbam: itaque omisso eo abierunt.

13 *Captarent.* ἀγρεύσωσι. Sicut scilicet venator captat ferani. Matthæus paulùm diversâ metaphorâ (ab avium scilicet venatu ductâ) utitur, dicens ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ. *Captarent sermone.* ἀγρεύσωσι λόγῳ. Nempe sermone *suo*: hoc est, quæstione sua, ad quam respondere in utramque partem videbatur periculosum. Atque ex collatione horum verborum liquet, verba modò citata ex Matthæo, non esse reddenda, Ut *eum illaquearent* IN *sermone, scil.* IPSIUS: sed, Ut *eum illaquearent sermone, scil.* SUO: omissâ præpositione IN quia ἐν λόγῳ valet idem quod λόγῳ, vel διὰ λόγου, per Hebraismum.

14 *In faciem hominum.* εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. Vide scholia in Matth. 22. v. 16.

15 *Quid.* τί Id est, διατί, Quare.

17 *Reddite.* ἀπόδοτε. Pro, ἀπόδοτε οὖν. Reddite igitur. Ellipsis conjunctionis syllogisticæ, quæ apud Mat. est expressa.

19 *Excitet semen* ἐξαναστήσῃ σπέρμα. Id est, procreet filium. Metonymia materiæ, & synecdoche generis. σπέρμα, id est, τέκνον: & τέκνον, id est, υἱόν. Sic deinceps. Ubi nota, vocabulum *Seminis* usurpari ad significandum hominem unicum: ad convincendum Judæos, qui negant istud nomen in scriptura usquam hanc significationem habere ut nimirum possint negare, promissionem illam, *In semine tuo*

benedicentur omnes gentes, rectè exponi de Christo. Quanquam Moses hîc non utitur nomine *Seminis*, sed *Filij*. Alibi tamen eo sic utitur, ut Gen. 4. v. penult. ubi Eva de Setho ex se recens nato ait, *Reposuit mihi Deus aliud semen pro Habele*: id est alium filium. Sic cap. 38. v. 8. Jehuda dicit Onani, Suscita semen fratri tuo.

22 *Denique acceperunt.* καὶ ἔλαβον. Id est, Et ut uno verbo dicam, acceperunt &c. Copulativa pro particula præcisionis. *Ultima omnium mortua est & mulier.* ἐσχάτα πάντων ἀπέθανε καὶ ἡ γυνή. Syntaxis est: Tum mulier quoque mortua est ultima omnium; hoc est, ultimo loco post omnes. Syntaxis qualis illa de qua monuimus suprà in vers. 6.

23 *Quum resurrexerint.* ὅταν ἀναστῶσι. Epexegesis πλεοναστικὴ: qualis suprà cap. 1. v. 32. ubi habetur: ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτι ἔδυ ὁ ἥλιος. Item cap. 7. v. 13. Abrogantes sermonem Dei traditione vestra quam tradidistis. *Erit.* ἔσται Scil. mulier illa, quæ septem habuit viros. *Nam septem illi.* οἱ γὰρ ἑπτὰ. Articulus vim habet ἀναφορικήν.

26 *Quòd suscitandi sint.* ὅτι ἐγείρονται. Ad verb. Quòd excitantur sive excitentur: id est, excitabuntur. Enallage temporis. *In libro Mosis.* ἐν τῷ βίβλῳ Μωσέως. Sic nominat totum Pentateuchum. Locus autem quem citat, habetur Exod. 3. v. 6. *Quomodo in rubo loquutus sit Deus.* ἐπὶ τῆς βάτου ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ θεός. In Græco verba sunt trajecta. *Deus ille.* ὁ θεὸς. Articulus est emphaticus, notans rem eximiam & vulgo notam. quasi dicat. Deus ille qui apparuit sanctis illis patribus, eisq; certas promissiones dedit, fedus gratiæ cum illis pangens.

27 *Non est Deus, mortuorum deus; sed viventium.* οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ θεὸς ζώντων In Græco vox θεὸς posterior, à nativo suo loco trajecta est: ut liquet ex Matthæo, qui servavit ordinem naturalem, sic referens: Οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς, θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων. Cæterùm perspicuitatis causâ nomen Θεὸς, item Deus, in antecedente scribẽdum est litera initiali majusculâ, tanquam nomen proprium: in consequente verò minusculâ, tanquam appellativum. Quid autem sit, Deum esse deum alicujus: item qualis hoc loco contineatur syllogismus: dictum est in commentario in Matthæum.

thæum. Ut repetam paucis: ſyllogiſmus eſt figuræ primæ, ſeu ſecundæ ſpeciei ſyllogiſmi explicati, ad hunc modum:

Quorum deus eſt Deus, illi vivunt.

Abrahami, Iſaaci & Jacobi, deus eſt Deus.

Ergo Abraham, Iſaac, & Jacob, vivunt.

Aſſumptio eſt prima ibi, *Ego ſum Deus ille Abrahami* &c. Secundo loco ſuccedit propoſitio, ibi: *Non eſt Deus mortuorum* &c. Poſtremo additur ſententia concluſionis, ibi, *Vos ergo multùm erratis. Vos ergo multùm erratis.* ὑμεῖς οὖν πολὺ πλανᾶσθε. Pro eo quod eſt: Ergo Abraham, Iſaac & Jacob vivunt: & per conſequens, vos multùm erratis; qui putatis; quum homo moritur, non ſupereſſe animam, nec in reſurrectione iterum ſuo corpori unitum iri. Eſt metonymiæ effecti ſynecdochica: eaque in toto enuntiato, quatenus illud ut conſequens ex alio enunciato deducitur.

29 *Dominus deus noſter, Dominus unus eſt.* Κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, Κύριος εἷς ἐστι. In Hebræo pro nomine Κύριος habetur nomen Dei proprium יהוה, quo notatur ipſius eſſentia: pro nomine autem θεὸς habetur nomen אלוהים, quod eſt numeri pluralis, & notat trinitatem perſonarum.

30 *Diliges igitur.* καὶ ἀγαπήσεις. Copulativa pro illativa.

34 *Cordatè.* νουνεχῶς. quaſi dicat, Habendo mentem: id eſt, cum mente.

35 *Et respondens.* καὶ ἀποκριθεὶς. id eſt novum ſermonem exorſus. Catachreſis Hebraica. *Quomodo dicunt.* πῶς λέγουσιν. Quaſi dicat, Non eſt probabile quod dicunt. Loquitur enim ut diſputaturus contra Scribas. *Chriſtum eſſe filium Davidis.* ὅτι ὁ Χριστὸς υἱός ἐστι Δαυείδ. Scilicet, *Tantum.* Neque enim putandum, Dominum voluiſſe negare id quod apud omnes erat in confeſſo, & in ſcripturis manifeſtè teſtatum: nempe, Chriſtum fore filium Davidis. *Eſſe.* ὅτι ἐστί. Id eſt, Fore: quum ſcil. venerit. Loquitur enim ex hypotheſi Scribarum: qui putabant, Chriſtum nondum veniſſe, ſeu nondum adeſſe.

36 *Per Spiritum ſanctum.* ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ. Ad verb. In Spiritu ſancto. Hebraiſmus: pro, διὰ τὸ πνεύματος τὸ ἅγιον. hoc eſt, ex afflatu & revelatione Spiritus ſancti.

Dixit Dominus &c. εἶπεν ὁ Κύριος &c. Vide scholia in Matthæum. *Ad dextram meam.* ἐκ δεξιῶν μου. Ad verb. Ex dextris meis. In Græco subauditur μερῶν: & intelliguntur membra quæ sunt in dextro latere; puta brachium dextrũ, costæ dextræ, crus dextrum. In Latino subauditur manus.

37 *Dominum.* κύριον Hoc nomen in contextu scribendũ est litera initiali minuscula, cæterisq; æquali: tanquam appellativum scil. non autem majusculâ: quum hîc non usurpetur ut proprium, sicut alibi sæpe, quum de Deo aut Christo sermo est. *Unde igitur.* καὶ πόθεν. Copulativa pro illativa. Id est. Unde igitur probabunt Scribæ, Christum filium esse solius Davidis?

38 *Stolati.* ἐν στολαῖς. Ad verb. In stolis: id est, induti stolis. Sic etiam (ni fallor) Latini loquuntur. *Et amant salutationes.* καὶ ἀσπασμούς. Verbum *amant* suppletum est ex Matthæo. Sed videtur ἀπὸ κοινοῦ posse repeti verbum *volunt*: hoc modo, Et volunt (id est, expetunt) salutationes.

40 *Qui exedunt domos viduarum.* οἱ κατεσθίοντες &c. Vide scholia in Matth. 23. v. 14.

41 *Aes.* χαλκὸν. Id est, nummos, sive ex ære, sive ex alio metallo. Metonymia materiæ, & Synecdoche speciei.

44 *Totum victum suum.* ὅλον τὸν βίον αὐτῆς. id est: totas suas facultates è quibus victitabat. In Græco est metonymia effecti. nam βίος propriè significat vitam.

OBSERVATIONES EX CAP. XII.

Ex parte prima, vide commentarium in Matth. cap. 21. versu 33, usque ad finem capitis.

Ex parte secunda, vide Matth. 22 à v. 16. usque ad 23.

Ex parte tertia, vide Matth. 22. à versu 23. usque ad 34.

Ex parte quarta, vide Matth. 22. à versu 34. usque ad 41.

Ex parte quinta, vide Matth. 22. à versu 41. usque ad finem capitis.

Ex parte sexta, vide Matth. 23. à principio usque ad v. 15

Ex parte septima, de vidua paupere contribuente in gazophylacium. Deus beneficentiã æstimat non ex quantitate munerum, sed ex animo donantis. Confer 2. Cor. 8. à principio deinceps, & cap. 9. à versu 5. deinceps.

ANA-

ANALYSIS CAP. XIII.

ARGVMENTVM.

Hoc capite narratur ſermo Domini habitus ad diſcipulos poſt ultimum egreſſum è templo: qui ſermo duobus conſtat principalibus membris, prophetiâ uſque ad v.33. & exhortatione, inde uſq; ad finem capitis. Prophetia eſt gemina: una, pronuntiata in urbe, ad diſcipulos univerſos, de excidio templi, duob. primis verſibus: altera, pronuntiata extra urbem, in monte elearum, ad quatuor diſcipulos ſolos, de calamitatibus Judæorum excidiũ templi anteceſſuris, à v. 2. uſque ad 14. Item de ipſius excidii atrocitate, à v. 14. uſque ad 24. necnon de ſuo adventu ad judicium univerſale, à v.24. uſque ad v.33. Exhortatio eſt ad vigilantiam, ſeu vigilantem ſui expectationem. Ita caput hoc diſtingui poteſt in quinque partes. 1 2 3 4 5

PRIMA PARS.

Prophetia de excidio templi.

ET quum egrederetur è templo, dixit ei quidam è diſcipulis ejus; Magiſter, vide quales lapides & qualia ædificia!

2 *Tunc Jeſus reſpondens dixit ei, Vides iſta magna ædificia? Nequaquam relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.*

PRimùm narratur prophetiæ hujus *occaſio*, v. 1. deinde *Prophetia ipſa*, v.2. *Occaſionem* Domino ad hanc prophetiam pronuntiandam prębuit factum cujuſdam è diſcipulis: qui demonſtravit ei ædificium templi, cum commendatione illius ab adjuncta pulchritudine & firmitate. Ubi notandum: ſcopum illius facti fuiſſe videri, aut ut contradiceret ſermoni Domini paulo antè ad Hieroſolymitanos pronuntiato, fore ſcilicet ut relinquatur eis domus ipſorum deſerta, ut narrat Matthæus cap. 23. ver. 38. aut certè ut Dominum à templo exſcindendo dehortaretur. Et contradictionem quidem præ ſe fert laudatio firmitatis: dehortationem verò, laudatio tum firmitatis tum pulchritudinis. quę poſterior laudatio expreſſa eſt apud Luc. cap. 21. v. 5. *Prophetia* ipſa amplificatur duabus rationibus ſeu duobus modis: Primùm antitheſi cauſæ corrũpentis,

deinde collatione imparium. Antitheſis enuntiatur per interrogationem, quæ vim habet dehortandi, ac proinde negandi conſequentiam quam ille diſcipulus nectebat a cauſa corrumpente, ad hunc modum: Si ædificia iſta ſunt magna, non igitur poterunt deſtrui. quaſi magnitudo ac firmitudo ædificiorum templi obſtatura eſſet excidio illius quod Dominus paulo-antè prædixerat. Hanc conſequentiam negaturus Dominus, ait: *Vides iſta magna ædificia?* quaſi dicat: Noli ex aſpectu iſtorum ædificiorum tibi perſuadere, illa deſtructum non iri. nam etſi magna ſunt ædificia iſta, tamen deſtruentur. Collatio imparium notatur, quum ait: *Non relinquetur lapis ſuper lapidem.* quaſi dicat: Templum hoc deſtruetur non ſolùm in aliqua parte, aut aliquibus partibus: ſed in partibus ſingulis, adeò ut ſinguli lapides ab illis quibus cum cohærent, diſſolvantur.

SECUNDA PARS.

Prophetia de calamitatibus Judæorum, excidium templi anteceſſuris.

3 *Et quum ſederet in monte olearum ex adverſo templi, interrogarunt eum privatim Petrus & Jacobus, & Johannes & Andreas,* dicentes:

4 *Dic nobis, Quando hæc erunt, & quod ſignum* erit *quando futurum eſt ut omnia hæc conſumentur?*

5 *Jeſus autem eis reſpondens cœpit dicere, Videte ne quis vos ſeducat.*

6 *Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego ſum* Chriſtus: *multóſque ſeducent.*

7 *Quum autem audieritis bella & rumores bellorum, ne turbamini: oportet enim* iſta *fieri, at nondum* erit *finis.*

8 *Surget enim gens in gentem, & regnum in regnum: eruntq; terræmotus ſingulis locis, & erunt fames ac turbæ.*

9 *Principia dolorum* ſunt *iſta. ſed cavete vos vobisipſis: tradent enim vos in conſeſſus & ſynagogas: cædemini, & coram præſidibus ac regibus ſiſtemini propter me, in teſtimonium adverſus eos.*

10 *Et apud omnes gentes oportet primùm prædicari Evangelium.*

11 *Quum*

11 *Quum autem vos duxerint ut tradant, ne antè soliciti e-ſtote quid dicturi ſitis, neque meditamini: ſed quicquid datum fuerit vobis illo momento, id loquimini. non enim eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus.*

12 *Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium: & inſurgent liberi adverſus parentes, & eos morte mulctabunt.*

13 *Et odio habebimini ab omnibus propter nomen meum: ſed qui perſeveraverit ad finem uſque, is ſervabitur.*

Primùm narratur prophetiæ hujus cauſa impulſiva, v. 3. & 4. deinde prophetia ipſa, verſibus reliquis. *Cauſa* quę Dominum impulit ad hanc prophetiam apud quatuor diſcipulos pronuntiandam, fuit illorum petitio ſive quæſtio de excidio templi: quæ ipſa illuſtratur partim ab occaſione illius proponendæ, v. 3. Ea fuit aſpectus templi, dum ex adverſo illius ſederent in monte olearum. Ille enim aſpectus in memoriam eis revocabat prophetiam Domini quam paulo ante ex ipſo audierant de templi excidio. Partim verò illuſtratur hæc quæſtio è ſuis partibus, v. 4. quæ ſunt numero duæ: una de tempore, quando excidium iſtud ſit futurum: altera de ſigno excidium illud proximè anteceſſuro. *Prophetiæ* membra principalia ſunt duo: unum de calamitatibus publicis omniumque communibus, uſque ad v. 9. alterum de calamitatibus privatis & propriis diſcipulorum, verſi. reliquis. Calamitates publicæ, ſunt numero ſex: ſeductio pſeudochriſtorum, v. 5. & 6. Bella & rumores bellorum, v. 7. & 8. Terræmotus, fames ac turbæ, v. 8. Calamitates privatæ, ſunt numero quinque: quòd tradendi ſint in conſeſſus & ſynagogas, cædendi virgis, ſiſtendi coram præſidibus ac regibus, v. 9. mulctandi morte, v. 12. odio habendi ab omnibus hominibus, v. 13. Huic prophetiæ inſeruntur *admonitiones, conſolationes, amplificationes & præceptiones.* Admonet ut ſibi caveant ne ſeducantur à pſeudochriſtis, v. 5. Et ſeductionem illorũ amplificat ab effectis, quòd ſeducturi ſint multos, v. 6. Deinde præcipit ne turbentur, quum audierint bella & rumores bellorum, v. 7. Tum amplificat calamitates excidii per collationem cum calamitatibus iſtis ante-

cessuris, tanquam minoribus, ubi ait v. 9. *ista fore dolorum principia*; quasi dicat, longè graviores dolores sequuturos tempore obsidionis urbis. Postea monet ut sibi caveant ab hostibus Evangelii, ut qui ipsos sint persecuturi, v. 9. Simulq; contra illam persecutionem eos consolatur: idque argumentis duobus: uno, quòd persecutio ista cessura sit in gloriam Dei, quatenus ipsorum cõfessio Evangelii cessura sit hostibus illis in testimonium adversus ipsos: ut scil. omnibus innotescat, illos meritò à Deo puniri propter Evangelii contemptum, in fine versus noni: altero, quòd nihilominus futurum sit ut Evangelium prædicetur apud omnes gentes: quæ nimirum res factura sit tum ad gloriam Dei, tum ad salutem Electorum ex gentibus, vers. 10. Postea præcipit, ne sint solliciti in meditanda defensione, quum trahentur ad tribunalia: eosq; consolatur promissione suggestionis verborum ad ipsorum causam defendendam idoneorum, v. 11. Tum persecutionem eis eventuram amplificat à qualitate persequentium, quòd scilicet persecutionem passuri sint à cognatis & propinquis, v. 12. Ité à quantitate, quòd scil. persecutionem perpessuri sint ab omnibus hominibus, hoc est, à maxima hominum parte, v. 13. Postremò hortatur eos ad constantiam, & consolatur promissione salutis æternæ.

TERTIA PARS.

Prophetia de obsidionis & excidii atrocitate.

14 *Quum autem videritis abominationem illam vastatricem, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem ubi non oportet, (qui legit, animadvertat) tunc qui* fuerint *in Judæa, fugiant in montes:*

15 *Qui verò* fuerit *supra tectum, ne descendito in domum, nec ingreditor ut quicquam sumat è domo sua.*

16 *Et qui fuerit in agro, ne revertitor retro ut sumat pallium suum.*

17 *Væ autem uterum ferentibus & lactantibus per illos dies.*

18 *Orate verò ne fiat fuga vestra hyeme.*

19 *Erunt enim dies illi* talis *oppressio qualis non fuit à principio rerum conditarum quas condidit Deus, usque ad hoc tempus, nec unquam erit.*

20 *Et nisi Dominus decurtavisset dies illos, non servaretur ulla caro: sed propter electos quos elegit, decurtavit dies illos.*

21 *Actum si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus; vel Ecce illic: ne credite.*

22 *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & edent signa ac miracula ad seducendum, si fieri posset, etiam electos.*

23 *Vos autem cavete. Ecce, prædixi vobis omnia.*

Hactenus de calamitatibus Judæorum, excidium urbis anteceſſuris: deinceps prophetat de excidio ipſo: quod *deſcribit* partim *ab adjuncto ſigno* proximè anteceſſuro, quod idem habet rationem cauſæ procreantis, verſ. 14. partim *ab adjuncta atrocitate obſidionis*, verſ. 19. & 20. partim denique *ab obſidionis eventu*, verſ. 21. & 22. *Signum & cauſa procreans* excidii ſignificatur nomine *abominationis vaſtatricis*, quo nomine intelligûtur exercitus Romanorum Hieroſolymam obſeſſuri. Id quod confirmat teſtimonio prophetiæ Danielis ex cap. 9. v. 27. *Atrocitatem obſidionis* atque excidi oſtendit partim collatione calamitatum tum præteritarum tum futurarum omnium, tanquam minorum, v. 19. Partim ab effectu noxio divinitus coërcendo, v. 20. *Eventus* obſidionis eſt ſeductio pſeudochriſtorum & pſeudoprophetarum: quam declarat partim recitatione verborum quibus uſuri ſint pſeudoprophetæ qui pſeudochriſtis erant inſervituri, v. 21. partim à cauſis adjuvantibus, videl. miraculis, v. 22. quæ ipſa amplificat ab adjuncta efficacia, ibid. Porrò huic parti prophetiæ ſimiliter ut ſuperiori, admixtæ ſunt *præceptiones*, *admonitiones*, & *conſolationes*. Primùm enim præcipit ut incipiente obſidione conſulant ſibi fugâ, eâq; celerrimâ, v. 14. 15. & 16. Hanc autem fugam primùm declarat à termino ad quem, id eſt à loco quò fuga corripienda ſit, verſ. 14. Deinde celeritatem ejus declarat antitheſi ſeu remotione cauſarum corrumpentium, verſ. 15. & 16. Tum incommoditatem

declarat similiter è causis corrumpentibus, tum propriis mulierum, v. 17. tum communi omnium, v. 18. Deinde monet, ne credant seductoribus istis pseudoprophetis, v. 21. & 23. Consolationem verò pro electis admiscet duplicem. Prima est quòd propter electos Judæos decurtandi sint dies obsidionis, ne tota gens pereat, atque ita illi unâ cum reprobis clade ista extinguantur, v. 20. Secũda, quòd fieri non possit ut per istos pseudoprophetas seducantur, versu 22.

QUARTA PARS.

De Domini adventu ad judicium universale.

24 *Cæterùm per illos dies, post oppressionem illam, sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum.*

25 *Et stellæ cæli excident, & vires quæ in cælis sunt concutientur.*

26 *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potentia multa & gloria.*

27 Ipse verò *tunc mittet Angelos suos, & suos electos congregabit à quatuor ventis, ab extremo terræ usque ad extremum cæli.*

28 *A ficu verò discite parabolam. Quum ramus ejus jam tener fuerit, & germinaverit folia, nostis propè esse æstatem.*

29 *Ita & vos, quum hæc videritis fieri, agnoscite propè esse* & *ad fores* regnum Dei.

30 *Amen dico vobis, Nequaquam præterierit hæc ætas usquedum facta sint hæc omnia.*

31 *Cælum & terra præteribunt; sermones autem mei nequaquam præteribunt.*

32 *Sed de die illo ac hora nemo scit, ne angeli quidem qui in cælo sunt, nec ipse Filius, sed* solus *Pater.*

Primò adventum suum *describit*, usque ad v. 28. Deinde *monet de certitudine prophetiæ* tum hujus, tum superioris, usque ad v. 30. Postremò *docet de adventus sui tempore*, versib. reliquis. *Adventum suum describit*, primùm ab adjunctis signis horribilibus proximè antecessuris, v. 24. & 25. Deinde ab adjuncto occupato, videlicet aspectu omnium hominum, v. 26. Tertiò à subjecto tribunali in

quo

quo ſedebit, videlicet in nubibus cæli, ibidem. Quartò ab adjuncto comitatu glorioſo & magnifico, videlicet ſanctorum angelorum, ibid. Quintò & poſtremò ab eventu in electis, videlicet collectione eorum per angelos, ut ſcilicet transferantur in cælum, v. 27. *Certitudinem prophetiæ* hujus declarat ſimilitudine germinantis ficus, v. 28. & 29. Certitudinem verò prophetiæ ſuperioris de excidio urbis & cladibus anteceſſuris, confirmat aſſeveratione duplici: quarum prior illuſtratur notatione temporis, quòd ſcilicet futura illa ſint antequam prætereat iſta ætas, hoc eſt, antequam Judæi qui tunc vivebant, omnes fuerint mortui, verſ. 30. Poſterior verò amplificatur collatione vel minoris vel majoris, prout verba diverſimodè exponũtur. Qua de re vide quæ diximus apud Matthæum. *De tempore adventus ſui docet*, notitiam ejus ſpecialem non eſſe conceſſam ulli homini: & hanc ſententiam amplificat partim collatione majorum, videlicet Angelorum & Filii Dei, nempe quatenus idem eſt homo: partim antitheſi diſparati vel diverſi, videlicet Dei Patris: ubi tamen non eſt putandum. Filium aut Spiritum ſanctum excludi: quum una ſit illorum trium eſſentia.

QUINTA PARS.

Exhortatio ad vigilantiam.

33 *Cavete, vigilate & orate: neſcitis enim quando tempus illud ſit futurum.*

34 Nam Filius hominis ita eſt *ut quiſpiam qui peregrè agens relictâ domo ſuâ, datâq; ſervis ſuis poteſtate, ac ſuo cuique opere, janitori mandavit ut vigilaret.*

35 *Vigilate igitur, (neſcitis enim quando dominus domus veniet; veſpere, an mediâ nocte, an in gallicinio, an manè)*

36 *Ne quum repentè venerit, inveniat vos dormientes.*

37 *Quæ autem dico vobis, omnibus dico; vigilate.*

Hortatur diſcipulos ad vigilantiam & ad preces: ut ſcilicet perpetuò ſolliciti ſint de officio faciendo, Deiq; gratiam ad hoc implorent. Hanc exhortationem *confirmat duobus argumentis*: primùm ab adjuncto periculo contrariæ ſecuritatis: deinde ab effectu noxio officii neglecti.

Periculum illud significat è causa procreante, videlicet incertitudine temporis adventus sui, v. 33. quum incertitudinem illustrat simili patrisfamiliâs seu domini peregrè profecti: qui servis singulis sua mandavit officia, ac janitori ut vigilaret, v. 34. nec illis significavit quo tempore sit rediturus, v. 35. ubi incertitudinem temporis illustrat distributione noctis in quatuor vigilias, ut videtur. *Effectum* noxium officii neglecti, videl. pœnam, innuit v. 36. è causa procreante, videl. deprehensione securitatis. Ad extremum monet, hanc exhortationem pertinere ad discipulos suos universos, versu 37.

SCHOLIA IN CAP. XIII.

1 *Quales lapides &c.* ποταποὶ λίθοι &c. Interrogatio admirantis. Quasi dicat, Deus bone, Hi lapides (videl. templi) quales & quanti sunt! quàm pulchri scilicet & quàm grandes! Ac pulchritudinis quidem expressè meminit Lucas: magnitudinem verò nominatim exprimit Marcus in subjecta Domini responsione.

2 *Vides ista magna ædificia?* βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; Vult dicere: Putásne ædificia hæc non posse destrui (sicut futurum, modò prædixi Judæis, ut percipitur ex Matth. 23. v. penult. collato cum principio cap. sequentis) eò quòd magna sint? Interrogatio innuit reprehensionem: quasi dicat, Si ita putas, erras. Nam nequaquam relinquetur &c. Est metonymia efficientis synecdochica: quoniam ex causa efficiente opinionis intelligitur simul ipsa opinio, ad hunc modum: Tu vides ista ædificia esse magna: ac proinde putas ea non posse destrui. Est autem hæc metonymia in tota sententia, quatenus ea ad alteram sententiam se habet ut causa ad effectum. *Nequaquam relinquetur.* οὐ μὴ ἀφεθῇ. Hæc responsio unâ cum præcedente interrogatione vim habet enuntiati discretivi: quasi dicat Dominus, Etsi tu putas, ista ædificia, quia magna sunt, non posse destrui: tamen scias omnino fore ut destruantur.

4 *Hæc.* ταῦτα. Videlicet destructio templi, & cum illa cohærens expugnatio urbis. *Erunt.* ἔσται. Id est, γενήσονται, fient.

Consum-

Consummentur. συντελεῖσθαι. Id est, finem suum sortiantur. Confer Matth. 24. v. 3. ubi exprimitur ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος, consummatio (id est, finis) seculi.

6 *In nomine meo.* ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου. Id est, sub nomine meo, prætexentes suæ ambitioni nomen meum. *Ego sum* Christus. ὅτι ἐγώ εἰμι. Nomen *Christus* supplendum esse, planum est ex verbis proxime-præcedentibus, *Venient in nomine meo.* Et expressè habetur Matth. 24. v. 5.

7 *Bella.* πολέμους. Vide applicationem horum verborum in Analysi Matthæi. *Ne turbamini.* μὴ θροεῖσθε. Vel, Ne expavescite. *Oportet enim.* δεῖ γάρ. Videlicet propter decretum Dei, seu quoniam ita decrevit Deus punire mundum propter peccata. *Finis.* τὸ τέλος. Scil. templi: ac multò minùs seculi.

9 *Principia dolorum.* ἀρχαὶ ὠδίνων. Significat, istos dolores quos ex commemoratis turbis ac seditionibus percepturi sint, longè fore minores illis quos sensuri sint postea in obsidione urbis Hierosolymæ. Est autem metaphora sumpta à parturiente: ut percipitur ex vocabulo ὠδίνων, quo significantur dolores parturientis. Etenim dolores quos parturientes sentiunt in principio, non sunt tanti quanti sunt illi quos sentiunt quam jam infantem enituntur. *Propter me.* ἕνεκεν ἐμοῦ. Id est: propterea quòd me profitemini Christum. *In testimonium.* εἰς μαρτύριον. Id est: Atque istud divinâ providentiâ dirigetur in hunc finem, ut coram judicio Dei cedat in testimonium adversus eos. *Adversus eos.* αὐτοῖς. Id est, ἐπ' αὐτούς; ut loquitur Lucas in simili sententia, Luc. 9. 5.

10 *Apud omnes gentes.* εἰς πάντα τὰ ἔθνη. Id est: non solùm apud gentem Judaicam, sed etiam apud alias gentes. Neque enim hoc præcisè accipiendum videtur de singulis gentibus: quum ex contextu planum sit, Dominum hîc loqui de temporibus quæ expugnationem Hierosolymæ præcesserunt: quibus temporibus non fuisse prædicatum Evangelium apud gentes singulas, ex historiis videtur posse colligi. *Primùm.* πρῶτον. Priusquam templum evertatur.

11 *Duxerint.* ἀγάγωσιν. Scil. ad magiſtratus. *Ut tradant.* παραδιδόντες. id eſt, παραδώσοντες, tradituri: hoc eſt, ut tradant, ſcil. εἰς θλίψιν, in afflictionem, ut habetur Matth. 24. v. 9. hoc eſt, ut afficiamini ſupplicio. *Non enim eſtis vos qui loquimini.* οὐ γάρ ἐστε ὑμεῖς οἱ λαλοῦντες. vel, Non enim eſtis vos illi qui loquuntur. Scil. principaliter. Nam certè loquebantur ipſi coram magiſtratibus: ſed ut organa Spiritus ſancti, loquentes nimirum ea quæ ipſis dictabat Spiritus ſanctus. Exemplum vide in Petro & Johanne Act. 4. v. 8. & deinceps. Item Act. 5. v. 29. & ſeq.

12 *Morte mulctabunt.* θανατώσουσιν. Si hoc verbum referatur ad nominativos pręcedentes, accipiendum erit per metonymiam effecti, pro eo quod eſt, Curabunt morte mulctandos per magiſtratus. Sed poteſt accipi imperſonaliter, & referri ad magiſtratus: atq; tunc in nativa ſignificatione accipiendum eſt.

13 *Et odio habebimini ab omnibus.* καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων. Id eſt, ferè ab omnibus, à multo-maxima parte eorum quibuſcum verſabimini. Hyperbole: qualis illa apud Paulum, Omnes quæ ſua ſunt quærunt. *Sed qui perſeveraverit.* ὁ δὲ ὑπομείνας. Seu, Qui ſuſtinuerit, ſive toleraverit, ſcilicet afflictiones quibus ab hoſtibus Evangelii afficietur.

16 *In agro.* εἰς τὸν ἀγρόν. Pro, ἐν τῷ ἀγρῷ. Enallage ſive heteroſis præpoſitionis.

17 *Uterum ferentibus.* ἐν γαστρὶ ἐχούσαις. Ad verb. In ventre habentibus, ſcil. fœtum. Sic Matth. 1. 18.

19 *A principio rerum conditarum quas condidit Deus.* ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως ἧς ἔκτισεν ὁ Θεός. Pro, ἐκείνης ἣν ἔκτισεν. Et κτίσις, pro τὰ κτισθέντα, per metonymiam efficientis. Denique in illo ἧς ἔκτισεν ὁ Θεός, eſt epexegeſis pleonaſtica: qualis ſuprà v. 12. 23. in illis verbis, ἐν τῇ ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι: item in illis ſuprà 1. 32. ὁ ψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος. *Uſque ad hoc tempus.* ἕως τοῦ νῦν. Supple χρόνου: id eſt, uſque ad tempus quod nunc eſt.

20 *Propter electos quos elegit.* διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς οὓς ἐξελέξατο. Pleonaſmus Marco familiaris: cujus exemplum fuit paulò antè v. 19.

22 *Ad*

22 *Ad seducendum &c.* πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν, &c. Id est, talia ac tanta ut per illa seducerentur etiam electi, si possibile esset illos seduci. Præpositio πρὸς hîc non notat finem seu propositum illorum pseudoprophetarum: sed eventum. Etsi interim verum est, hunc finem pseudoprophetis illis fuisse propositum.

24 *Per illos dies.* ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. Id est, post illos dies: sicut Evangelista ipse mox per epexegesin declarat, subjungens: μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην, post afflictionem illam. Hebraica Enallage præpositionis: qualis Esa. 4. v. 2. *In die illo fiet ut germen Jehovæ sit decori Israelitis qui evaserint.* Id est, post diem illum, seu tempus illud, quo scil. Deus puniet Judæos per Babylonios: ex collatione præcedentium. *Post oppressionem illam.* μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην. Scil. de qua dictum, videl. oppressionem Judæorum per Romanos.

26 *In nubibus.* ἐν νεφέλαις. Id est, Super nubes: vectum scil. nubibus, illísve insidentẽ. *Cum potentia multa & gloria.* μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης. Id est, comitatus & stipatus sanctis angelis, quorum multæ sunt myriades.

27 *Congregabit.* ἐπισυνάξει. Nempe ministerio Angelorum: ex collatione verborum præcedentium. *Ab extremo terræ usq; ad extremum cæli.* ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ. Apud Matthæum habetur, ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν: id est, Ab extremis cælorum usq; ad extrema ipsorum. Ex quorũ verborum collatione suspicio cuipiam oboriri haud sine ratione possit, aliquem phrasis hujus Hebraicę imperitum nomen οὐρανοῦ substituisse pro nomine γῆς: putans nimirum, terræ non rectè opponi terram, sed cælum. At apud Matthæum manifestè cælum cælo opponitur, hoc est, una cæli pars parti alteri. Cæterùm apud Matthæum nomine *cæli* metonymicè intelligitur terra cælo subjecta: neque enim homines electi qui per angelos congregabuntur, congregabuntur è cælo (quippe in quo nondum fuerint) sed ex omnibus terræ partibus seu plagis orbis terrarum. Apud Marcum autem si terræ opponatur cælum: non videtur cęli vocabulum commodè per metonymiam exponi posse. Nativam autem significationem rei veri-

tas (ut ex dictis patet) non admittit. Si legatur, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου γῆς, sensus erit: Ab una extremitate terræ ad alteram. Quem sensum verba Matthæi manifestè habent. Similis phrasis est in illo Esa. 3. v. 5. *Vir in virum*, scil. insurget. Id est, Vir unus in alterum. Item psal. 19. v. 3. Dies diei eructat sermonem: & nox nocti indicat scientiam. Id est: Dies unus sermonem eructat alteri: & nox una scientiam indicat alteri.

28 *A ficu.* Ἀπὸ τῆς συκῆς. Scil. arbore.

29 *Propè esse* regnum *Dei.* ὅτι ἐγγύς ἐστιν. Scil. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ: ut expressè habetur Lucæ 21. v. 31.

32 *De die illo.* Περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης. Quo scil. futura est consummatio seculi, quóve venturus est Filius hominis ad congregandum electos suos: ex collatione v. 26. *Nec ipse Filius.* οὐδὲ ὁ υἱὸς. Scil. secundùm naturam assumptam, seu quatenus homo. nam quatenus deus, nôrat omnia. *Sed* solus *Pater.* εἰ μὴ ὁ πατήρ. Nomen *Solus* adjectum est perspicuitatis gratiâ. Ad verb. sonat: Nisi Pater. Quæ verba cum præcedentibus illis οὐδεὶς οἶδεν, id est, *Nemo scit:* cohærent ad hunc modum: οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ ὁ πατήρ. Nemo novit nisi Pater: Id est, Solus Pater novit. Illa autem verba, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι &c. ad amplificandum, quasi per parenthesin inserta sunt. *Ne angeli quidem &c.* Quasi dicat: Quantò minùs homines?

37 *Vobis.* ὑμῖν. Nempe vobis quatuor: quorum nomina recitata sunt suprà vers. 3. *Omnibus dico.* πᾶσι λέγω. Nempe omnibus meis discipulis. quasi dicat, Volo ut hæc illis referatis: ad ipsorum scil. tum consolationem, tum admonitionem.

OBSERVATIONES EX CAP. XIII.

Ex parte prima, vide Matth. 24. v. 1. & 2.

Ex parte secunda, vide Matth. 24. à v. 3. usq; ad 14.

Ex parte tertia, vide Matth. 24. à v. 15. usque ad 29.

Ex parte quarta, vide Matth. 24. à v. 29. usque ad 37.

Ex parte quinta, vide Matth. 24. à vers. 42. usque ad finem capitis.

ANALY-

ANALYSIS CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Hactenus narratum, quomodo administrârit Christus munus propheticum: sequitur, quomodo administrârit munus sacerdotale, patiendo scilicet pro electis sibi à Patre datis. Continetur autem historia passionis Christi, sequentibus duobus capitibus. Et in hoc quidem capite narrantur hæc decem.

1 Consultatio procerum de Jesu ad supplicium rapiendo, v. 1. & 2.

2 Unctio Domini ad sepulturam seu funerationem, à v. 1. usque ad 10.

3 Pactio Judæ cum sacerdotibus de Jesu prodendo, v. 10. & 11.

4 Indicatio proditoris apud discipulos, à v. 12. usq; ad 22

5 Doctrina de passionis fructu, à v. 22. usque ad 26.

6 Prædictio comprehensionis sui, fuga discipulorum & abnegationis Petri, à v. 26. usq; ad 32.

7 Passio Christi spiritualis in horto, à v. 32. usq; ad 43.

8 Comprehensio Christi in horto, à v. 43. usq; ad 53.

9 Damnatio Christi à concilio sacerdotum, à v. 53. usque ad 66.

10 Negatio Christi per Petrum, à v. 66. usque ad finem capitis.

PRIMA PARS.

Consultatio procerum de Jesu ad supplicium rapiendo.

ERat autem Pascha & Azyma duobus pòst diebus: & quærebant principes Sacerdotum & Scribæ quomodo eum dolo prehensum interficiarent.

2 *Dicebant autem, Ne in festo; ne forte tumultus fiat populi.*

PRimùm indicatur consultationis hujus *tempus*, videl. tertius dies ante pascha Judęorũ. Secundò *personæ consultantes*, videl. principes Sacerdotũ & Scribę: quibus addit Matthæus seniores populi. Tertiò *summa* consultationis,

nempe ut Jesum dolo prehensum trucidarent. Hæc sententia amplificatur ab adjuncta cautione singulari: nempe ut istud non fieret in festo. Cui cautioni adjicitur sua ratio à fine seu eventu: nempe ne tumultus oriretur in populo.

SECUNDA PARS.

Unctio Domini ad sepulturam seu funerationem.

3 *Quum autem* Jesus *esset Bethaniæ, in domo Simonis Leprosi, accumbente eo venerat mulier habens alabastrum unguenti nardi liquidæ multi pretii; & confracto alabastro, effuderat ei in caput.*

4 *Quidam autem indignabantur apud sese, & dicebant, Quorsum perditio ista unguenti facta est?*

5 *Nam poterat hoc vendi amplius quàm trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.*

6 *Jesus autem ait, Omittite eam: quid ei molestiam exhibetis? bonum opus operata est erga me.*

7 *Semper enim pauperes habebitis vobiscum, & quandocunque volueritis, poteritis eis benefacere: me verò non semper habebitis.*

8 *Hæc quod potuit fecit: occupavit* enim *ungere meum corpus ad funerationem.*

9 *Amen dico vobis, Ubicunque prædicatum fuerit Evangelium hoc in toto mundo, etiam id quod ista fecit, dicetur in memoriam ipsius.*

Hujus narrationis membra sunt sex: nempe 1. Locus. 2. Occasio. 3. Efficiens. 4. Materia. 5. Forma. 6. Eventus.

Locus ubi unctio illa facta est, indicatur tum generalis seu communis, Bethania: tum specialis seu proprius, domus Simonis leprosi.

Occasio ad hanc unctionem oblata fuit, accubitus Domini in convivio. Solebant enim Judæi in conviviis ungi.

Efficiens, seu persona quæ Dominum unxit, fuit mulier, cui (teste Johanne, cap. 12. v. 3.) nomen erat Maria.

Materia qua mulier illa Dominum unxit, fuit unguentum nardi liquidæ. Hoc unguentum declaratur partim à subjecto vasculo in quo fuit contentum, videl. alabastro: partim

partim ab adjuncto pretio, quòd fuerit multi pretii.

Forma seu modus agendi fuit, quòd mulier illa unguentum istud pretiosum confracto alabastro effudit Domino in caput.

Eventus fuit indignatio quorundam qui unâ accumbebant, & murmur quo factum istud mulieris damnabant argumento effecti damnosi, videlicet interceptæ eleemosynæ in pauperes erogandæ, vers. 4. & 5. Qui autem isti murmuratores fuerint, declarat Matthæus, qui hoc attribuit discipulis: & adhuc magis Johannes, qui hoc soli Judæ tribuit: unde percipitur, Judam istius murmuris authorem fuisse, ac præ cæteris murmurasse, quod ipsum ex eventu quoque perspicuum evadit: quippe quum Judas ægrè tulerit interceptam sibi esse occasionem furandi, teste Johanne: ac proinde tum hanc ob causam, tum defensione mulieris suique reprehensione exacerbatus, abierit ad sacerdotes, suam eis operam offerens in Christo prodendo. Cæterùm istud murmur declaratur è suo eventu, videlicet mulieris defensione adhibita à Christo: qui factum mulieris defendit ab adjuncta bonitate, inquiens: *Bonum opus operata est erga me*. Et hanc bonitatem demonstrat ex fine seu scopo, ubi ait: *Occupavit enim ungere meum corpus εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν*, id est, *ad funerationem seu pollinctionem*. Simul etiam argumentum murmuris refutat à distinctione temporum. Enthymema reprehensionis erat: Unguentum hoc debuit conferri in usus pauperum: Non igitur debuit in te effundi. Dominus negat antecedens, adhibitâ distinctione temporum: Unguentum hoc non debuit conferri in usus pauperum, sed in honorem meũ, quia hoc tempus istum honorem postulat: pauperibus verò benefaciendi satis adhuc temporis supereſt. Quòd autem hoc tempus honorem istum postulet, probat ex eo quòd jam sit tempus corpus ipsius funerandi: quum postea non sint habituri istius officii sibi præstandi facultatem: hoc innuit quum ait, *Me non semper habebitis*. Item, *Hæc quod potuit, fecit: occupavit enim ungere &c.* Postremò bonitatem facti mulieris amplificat prophetia de *eventu*, videl. testimonio atque

judicio honorifico omnium piorum quibus deinceps Evangelium prædicandum sit, v. 9.

TERTIA PARS.

Pactio Judæ cum Sacerdotibus.

10 *Tunc Judas Iscariotes, unus ex duodecim, abiit ad principes Sacerdotum, ut eum ipsis proderet.*

11 *Illi verò eo audito gavisi sunt: & polliciti sunt se pecuniam ei daturos. Quærebat igitur quomodo opportunè eum proderet.*

Narrationis hujus *membra* sunt *quinque*: descriptio proditoris, causa impulsiva prodendi, proditionis oblatæ effectum, pactio ipsa & pactionis effectum. *Proditor describitur* à nomine proprio, à cognomine & à conditione. *Causa impulsiva* innuitur verbo ἀπῆλθε, *abiit*, scilicet ultrò, motus nimirum cupiditate vindictæ & avaritiâ in recuperando lucro interceptoper effusionem unguenti, ut percipitur ex ipsa serie narrationis. *Effectum proditionis oblatæ* fuit gaudium in illis quibus offerebatur. *Pactio* fuit posita in eo, quòd principes sacerdotum polliciti sunt Judæ, se ei daturos pecuniam, videl. triginta argenteos (ut Matthæus narrat) si scil. Jesum ipsis prodidisset. *Effectum pactionis in proditore* fuit studium standi promisso, ac proinde diligens observatio opportunitatis rei gerendæ.

QUARTA PARS.

Indicatio proditoris apud discipulos.

12 *Ac primo die Azymorum, quando Pascha mactabant, dicunt ei discipuli ipsius,* Ubi vis ut profecti paremus ut edas Pascha?

13 *Tunc mittit duos è discipulis suis, & dicit eis, Abite in urbem: & occurret vobis quidam portans amphoram aquæ: sequimini eum.*

14 *Et quocunque introierit, dicite patrifamiliâs; Magister dixit,* Ubi est diversorium ubi Pascha cum discipulis meis edam?

15 *Tunc ipse vobis monstrabit cœnaculum magnum stratum, paratum: illic parate nobis* Pascha.

16 *Abierunt igitur discipuli ejus, venerunt; in urbem, & invenerunt* omnia *prout dixerat eis: & paraverunt Pascha.*

17 Et

17 *Et vesperâ factâ, venit cum duodecim.*

18 *Quumq; accubuissent, & ederent; ait Jesus, Amen dico vobis, Unus ex vobis prodet me, qui edit mecum.*

19 *Ipsi verò cœperunt contristari, & ei dicere sigillatim, Num ego? Et alius, Num ego?*

20 *Ipse autem respondens dixit eis, Unus ex duodecim, qui intingit mecum in catinum,* me prodet.

21 *Filius quidem hominis abit, prout scriptum est de eo: sed væ homini illi per quem Filius hominis proditur: bonum erat illi si natus non fuisset homo ille.*

Membra principalia hujus narrationis sunt *quatuor:* tempus, locus, indicatio ipsa, & indicationis effectum. *Tempus* quo indicatio ista facta est, fuit primus dies azymorum, v. 12. quum jam vespera adveniisset, v. 17. quumque Jesus & discipuli accubuissent & pascha (id est agnum) ederent, v. 18. *Locus* ubi indicatio hæc facta est, ipsumq; pascha à Domino unâ cum discipulis celebratum, fuit cænaculum magnum stratum & paratum in domo cujusdam patrisfamiliâs in urbe Hierosolyma, v. 13. 14. & 15. Hæ duæ circumstantiæ amplificantur expositione præparationis agni paschalis. Illa præparatio describitur è causis agentibus: tum principali, tum adjuvantibus seu administris. Principalis causa fuit Jesus, quatenus præparationem agni duobus discipulis mandavit. Administri fuerunt duo illi discipuli. Primùm igitur describuntur mandata Jesu de loco ubi debeant duo illi discipuli agnum parare, vers. 13. 14 & 15. Deinde mandatorum illorum exsequutio, v. 16. In mandatis locus designatur ex adjunctis adhærentibus, videlicet hominis cujusdam occursuri discipulis ac portaturi amphoram ingressurique in certam domum, vers. 13. & patrisfamiliâs illius domus promptâ ostensione cænaculi, v. 14 & 15. *Indicatio* ipsa est indefinita, & amplificata antithesi causæ corrumpentis, ad significandum indignitatem rei. Estque gemina: prima continetur v. 18. altera v. 20. Prioris indicationis *effectum* in discipulis fuit tum tristitia, tum inquisitio quisnam ex eis proditor ille esset, v. 19. Indicatio posterior amplificatur indicatione effecti,

videl. denuntiatione pœnæ divinæ quæ proditorem maneat: quæ ipsa denuntiatio amplificatur prolepsi & collatione minorum, v. 20.

QUINTA PARS.

Doctrina de passionis fructu.

22 *Et edentibus ipsis, quum accepisset Jesus panem, & benedixisset, fregit: deditq; eis, & ait, Accipite, edite: hoc est corpus meum.*

23 *Et accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes.*

24 *Et dixit eis, Hoc est sanguis meus,* sanguis *ille novi federis: qui pro multis effunditur.*

25 *Amen dico vobis, Nequaquam bibam amplius ex fructu vitis usque ad diem illum quum ipsum bibam novum in regno Dei.*

Narrationis hujus *membra* principalia sunt *tria*: occasio doctrinæ, doctrina ipsa, & appendix doctrinæ. *Occasionem* ad hanc doctrinam tunc proponendam Domino præbuit cæna quam tunc cum discipulis edebat ultimam: id quod significatur his verbis, *Et edentibus ipsis.* Volebat enim in locum agni paschalis quem tunc unâ edebant, instituere cænam sacram novam, per quam tum ipsos discipulos tunc præsentes, tum cæteros deinceps credentes usque ad finem mundi edoceret de passionis suæ fructu. Itaque occasione & temporis & materiæ usus est. Temporis: quatenus cænæ veteri quam tunc ultimam cum discipulis edebat, mox subrogavit novam. Materiæ: quatenus ordinavit panem & vinum (cujus utriusque copiam tunc habebat, nec iterum habiturus erat) in sacramenta, id est, sacra signa sui corporis & sanguinis: per quæ tum discipulos tum omnes deinceps credentes edoceret de passionis suæ fructu. Atque hæc de occasione. Jam *doctrinæ ipsius summa est:* Passionem ac mortem suam utilem fore discipulis, ac omnino omnibus electis, ad promerendum illis apud Deum remissionem peccatorum, seu ad satisfaciendum judicio Dei pro ipsorum peccatis, atque ita ad reconciliandum eos Deo, & fedus illud gratiæ

gratiæ confirmandum. Hanc doctrinam Dominus proponit partim per expressa verba, partim per actiones quasdam mysticas: quæ utraque declarat è subjectis occupantibus, videlicet pane & vino: circa quæ actiones illæ sunt adhibitæ, & de quibus verba illa sunt pronuntiata. Et actiones quidem circa panem adhibitæ, narrantur quatuor. Etenim panem primùm accepit: deinde benedixit: (hoc est, super illo gratias Deo egit, ut Lucas declarat) tum fregit; postremò dedit discipulis, vers. 22. Verba de pane pronuntiata, continent duo membra: mandatum & doctrinam. Mandatum continetur his verbis: *Accipite, edite*. quo mandato imperantur duæ actiones mysticæ: quâ utrâque figuratur spiritualis acceptio & comestio corporis Christi, quæ fit per fidem. Doctrina proponitur his verbis. *Hoc est corpus meum. Hoc*, videlicet hic panis: ut patet ex consequentia sive serie atque cohærentia verborum. Quâ doctrinâ continetur promissio Evangelii, symbolo panis illustrata & obsignata. Sensus enim illorum verborum est: panem illum ex ordinatione Christi esse signum corporis ipsius, significans atque testificans credentibus, corpus ipsius esse pro illis fractum in cruce, atque ita eis effectum cibum vitæ æternæ. Atque hæc de pane. Jam ad poculum quod attinet (nimirum poculum vino plenum, ut percipitur ex v. 25.) actiones circa illud adhibitæ, narrantur tres. primò enim Dominus illud accepit: deinde gratias egit: postremò discipulis dedit. Ubi fusio vini ex analogia fractionis panis, simul est intelligenda. neque enim dubium videri potest quin vinum vel ab ipso Domino vel (quod credibilius) mandato ipsius à ministro in poculum fuerit infusum, antequam Dominus super illo gratias ageret: quippe quum pro vino gratias egerit: quanquam non principaliter pro vino, sed pro re per illud vinum significanda, videlicet pro sanguine suo effundendo pro electis in remissionem peccatorum.

Verba de poculo pronuntiata hîc narrantur tantùm ea quæ continent doctrinam de illius poculi fine seu usu, & per consequens de fructu passionis Domini:

Mandatum verò de poculo bibendo, quod hîc omiſſum eſt, colligitur ex narratione de facto diſcipulorum: qui biberunt ex eo omnes. hoc enim fecerunt ex Domini mandato, quod exprimitur apud Matthæum. Porrò verba de poculo pronuntiata, ſunt hæc: *Hoc eſt ſanguis meus novi teſtamenti (ſeu federis) qui pro multis effunditur.* Id eſt, Hoc poculum (hoc eſt, vinum hoc poculo contentum) ex ordinatione mea eſt ſignum ſanguinis mei, ſignificans atque teſtificans vobis & omnibus deinceps credentibus, ſanguinem meum pro vobis ac pro illis effuſum iri effuſúmve eſſe ad confirmandum novum illud fedus, nempe fedus gratiæ, in quo Deus federatis ſuis (nempe omnibus in me credentibus) promittit remiſſionem peccatorum propter effuſionem ſanguinis mei: quippe qua pro peccatis illorũ ſum ſatisfacturus judicio Dei, ſentiens iram illius & maledictionem quam illi ſuis peccatis commeruerunt. Atque hæc de ipſa doctrina. *Appendix doctrinæ* duas ſententias continet: admonitionem & conſolationem. Admonet enim de ſuo à diſcipulis diſceſſu paulo-pòſt futuro, ubi ait: *Non bibam amplius ex fructu vitis.* Deinde contra illum diſceſſum eos conſolatur, ubi annectit, *Uſque ad diem illum quum ipſum bibam novum in regno Dei.* quibus verbis promittit diſcipulis gaudia ſempiterna unâ cum ipſo fruenda in cœlo: quę gaudia per metaphoram à læto convivio ex more Scripturæ ſignificat. Qui pleniorem hujus loci expoſitionem deſiderat: conſulat Analyſin noſtram in Matthæum.

SEXTA PARS.

Prædictio comprehenſionis ſui, fugæ diſcipulorum, & abnegationis Petri.

26 *Et quum hymnum cecinissent, exierunt in montẽ olearum.*

27 *Tunc dicit eis Jesus, Omnes offendemini in me nocte istâ. Nam scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oves.*

28 *Sed postquam surrexero, præibo vobis in Galilæam.*

29 *Petrus autem dixit ei, Etiamsi omnes offendantur, at non ego.*

30 *Tunc*

30 *Tunc dicit ei Jesus; Amen dico tibi; Hodie, hac* inquam *nocte, priusquam bis gallus cecinerit, ter abnegabis me.*

31 *At ille multò magis dicebat; Si me oportuerit commori tibi, haudquam te abnegabo. Itidem autem etiam omnes dicebant.*

Versu 26. habetur *transitio:* ubi duo: appendix ultimæ cœnæ, videlicet hymnus: & locus ubi sequens prædictio pronuntiata, videl. via ad montem olearum. V. 27. *prædicit discipulorum fugam, & simul comprehensionem sui,* tanquam illius causam procreantem. Prædictionem fugæ illustrat & amplificat à circumstantia temporis. Prædictionem utramque confirmat testimonio Scripturæ, ex Zachariæ 13. Versu 28. *illi scandalo opponit consolationem,* promittendo suum ad illos reditum. Versu 29. narratur *prædictionis fugæ eventus,* eademque *occasio prædictionis sequentis,* videl. abnegationis Petri. Eventus ille est contradictio Petri, & contraria promissio constantis apud Dominum permansionis. Versu 30. *narratur prædictio abnegationis Petri:* confirmata asseveratione; illustrata atq; amplificata à circumstantia temporis, idq; bifariam, & à numero. Versu 31. *prædictio abnegationis Petri declaratur ex eventu,* videl. contradictione Petri iterata: quæ amplificatur collatione majoris, & illustratur simili contradictione cæterorum discipulorum.

SEPTIMA PARS.

Passio Christi spiritualis in horto.

32 *Veniunt igitur in locum cujus nomen est Gethsemane. Tunc dicit discipulis suis, Considite hic, usquedum precatus fuero.*

33 *Et assumit Petrum & Jacobum & Johannem secum: cœpitq; expavescere & gravissimè angi.*

34 *Et dixit eis, Tristis est anima mea usq; ad mortem: manete hic, & vigilate.*

35 *Progressusq; paululum, procidit in terram: & oravit, ut, si possibile esset, abiret ab ipso hora illa.*

36 *Dixitq;, Abba, Pater, omnia possibilia sunt tibi: transfer me istud poculum, verùm non quod ego volo, sed quod tu.*

37 *Tunc venit, & invenit eos dormientes: dicitq; Petro, Simon dormis? non valuisti* vel *unam horam vigilare?*

38 *Vigilate & precamini, ut ne introeatis in tentationem. Spiritus quidem promptus* est, *sed caro* est *infirma.*

39 *Et quum rursus abiisset, precatus est, & eundem sermonem dixit.*

40 *Et reversus, invênit eos rursum dormientes, (erant enim occuli eorum gravati) neque sciebant quid ei responderent.*

41 *Et venit tertiò, dicitq; eis, Dormite quod supereſt, & requiescite: sufficit, vênit hora illa: ecce, traditur Filius hominis in manus peccatorum.*

42 *Surgite, eamus: ecce, qui prodit me, appropinquavit.*

Spiritualis passio Christi in horto, fuit *anxietas* ex metu pleni sensus iræ Dei paulo-pòst in cruce futuri. Hæc anxietas declaratur ex *effectis*: quæ narrantur numero *decem*. Primùm separavit maximam partem discipulorum, ut eò liberiùs apud cæteros de anxietate sua posset conqueri, v. 32. Deinde assumpsit tres solùm discipulos, quos præ cæteris charos habebat, ut anxietatem illam suam eis exponeret, & in ipsorum quasi sinum effunderet, solatii gratiâ, v. 33. Tertiò anxietatem illam discipulis istis confitetur, deq; illa querulatur, v. 34. Quartò petit ab eis solatium ex præsentia & precibus ipsorum, ibid. Quintò precatur ardentissimè, deprecans futurum illum sensum iræ Dei, ita tamen ut in voluntate Patris acquiescat, v. 35. & 36. Sextò objurgat Petrum, simulq; reliquos duos, propter ignaviã & securitatem; eosq; hortatur ad precandum, additâ ratione ad ipsorummet salutem spectante, v. 37. & 38. Septimò iterat precationem suam, v. 39. Octavò iterum quærit solatium apud discipulos: sed frustrà: quippe quòd illi gravati essent somno. v 40. Nonò iterum ad discipulos redit solatii quærendi causa, v. 41. Decimò iterum eos objurgat propter ignaviam, v. eodem. Simulq, monet de instante proditione, eosq; hortatur ut unâ secum proditori obviam eant, v. 41. & 42.

OCTAVA PARS.

Comprehensio Christi in horto.

43 *Et statim, adhuc eo loquente, adest Judas qui erat unus è duodecim*

duodecim: & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, à principibus sacerdotum & Scribis & Senioribus.

44 *Dederat autem eis iste qui eum prodebat, commune signum, dicens: Quem osculatus fuero, is est: prehendite eum, & abducite tutò.*

45 *Quum igitur venisset, statim accedit ad eum, dicítque ei, Rabbi, rabbi: ac deosculatus est eum.*

46 *Illi verò injecerunt in eum manus, & prehenderunt eum.*

47 *Quidam autem adstantium, exserto gladio, percussit servum Pontificis maximi, & abstulit ejus auriculam.*

48 *Et respondens Jesus dixit eis,* Ut *adversus latronem existis cum gladiis & fustibus ad comprehendendum me?*

49 *Quotidie eram apud vos in templo docens, &* tamen *non prehendistis me. Sed* hæc fiunt *ut impleantur Scripturæ.*

50 *Tunc relicto eo omnes fugerunt.*

51 *Quidam autem juvenis sequebatur eum, amictus sindone super nudum* corpus: *& prehenderunt eum juvenes.*

52 *Ipse verò derelictâ sindone, nudus effugit ab illis.*

Narratio comprehensionis Christi continetur *tribus membris*: quæ sunt, causæ procreantes, forma seu modus agendi, & eventa. *Causæ procreantes* indicantur tum principales, tum adjuvantes & ministræ. Principales fuerunt principes sacerdotum & Scribæ & seniores: ab his enim missi sunt qui Dominum comprehenderent. Adjuvantium una iterum fuit principalis, reliquæ ministræ. Principalis fuit Judas Iscariotes proditor: is enim ministros secum duxit. Ministri fuerunt famuli sacerdotum, qui hîc intelliguntur nomine *turbæ multæ*. Horum mentio illustratur ab adjunctis instrumentis, videl. gladiis & fustibus. *Forma seu modus agendi* narratur primùm proditoris, deinde ministrorum. De proditore narrantur duo, præparatio ministrorum per certum signum: & proditio ipsa per osculum. De ministris narratur, quòd in Dominum injecerint manus, atque ita eum comprehenderint. *Eventa* narrantur quatuor: primum in uno è discipulis, secundum in Domino, tertium in discipulis omnibus, quartum in quodam juvene qui Dominum sequebatur. Unus è discipulis (videlicet Simon Petrus, teste Johanne) conatus est com-

prehensionem Domini impedire vi, ut declaratur v.47. Dominus cũ iis qui simul aderant, primoribus expostulavit de injuria, eosdemq; arguit malæ conscientiæ, & deniq; se contra istam injuriam consolatus est cõsideratione voluntatis Dei in Scripturis patefactæ. Discipuli omnes, relicto Domino, fugerunt. Juvenis similter fugit; idq; nudus, relictâ sindone qua amictus erat super nudũ corpus.

NONA PARS.

Damnatio Christi à concilio sacerdotum.

53 *Tunc abduxerunt Jesum ad Pontificem maximum: & convenerunt cum eo omnes principes Sacerdotum, & seniores, & Scribæ.*

54 *Petrus autem procul sequutus est eum intrò usque in aulam Pontificis maximi: & erat considens cum ministris, & calefaciens sese ad ignem.*

55 *Principes autem Sacerdotum & totus consessus quærebant testimonium adversus Jesum, ut eum morte mulctarent: sed non inveniebant.*

56 *Nam multi falsum testimonium dicebant adversus eum: sed non erant paria ipsorum testimonia.*

57 *Tunc quidam surrexerunt, & falsa testati sunt adversus eum, dicentes,*

58 *Nos audivimus eum dicentem, Ego destruam templum hoc quod est manibus factum, & triduo aliud absque manibus factum ædificabo.*

59 *Sed ne sic quidem par erat testimonium eorum.*

60 *Tum Pontifex maximus quum assurrexisset in medium, interrogavit Jesum, dicens, Non respondes quicquã? quid* est quod *isti adversum te testificantur?*

61 *Ipse verò silebat, & nihil respondit. Rursum Pontifex maximus eum interrogavit, & dixit ei, Túne es Christus filius ille Benedicti?*

62 *Jesus autem dixit, Ego sum. & videbitis Filiũ hominis sedentẽ ad dextram potentiæ* Dei, *& venientem cum nubibus cæli.*

63 *Pontifex maximus verò diruptis vestibus suis dixit, Quid adhuc nobis opus est testibus?*

64 *Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Illi verò omnes con-*

condemnarunt eum dicentes, *ipsum teneri mortis pœnâ.*

65 *Et cœperunt quidam inspuere in eum, & obtegere faciem ejus, & colaphos ei infligere, & dicere ei, Vaticinare. ministri verò bacillorum ictibus eum cædebant.*

Narrationis hujus *membra* principalia sunt *tria*: causæ procreantes damnationis, adjunctus spectator seu testis, & forma seu modus agendi. *Causæ procreantes sive authores* damnationis Christi fuerunt, Pontifex maximus, omnes principes sacerdotum, & seniores & scribæ, v. 53. *Adjunctus spectator & testis* (qui hæc suo tempore apud Ecclesiam debuit testari) fuit Petrus, v. 54. *Forma seu modus agendi*, nempe processus judicialis, continet partes quatuor. Primùm quæsiverunt falsos testes qui aliquid morte dignum de Jesu testarentur: deinde quum hac non successisset, aliâ viâ rem aggressus pontifex maximus, quæsivit ex Jesu, an ipse sit Christus filius ille Dei. tum confessione Domini auditâ, damnarunt eum ad mortem: postremò damnatum permiserunt astantibus illudendum. Harum partium prima videlicet conquisitio falsorum testimoniorum primùm declaratur, deinde amplificatur. Declaratur partim ab eventu, quòd nullum ex istis testimoniis compertum sit par, hoc est, testificans de facinore quod dignum esset morte: partim ab exemplo speciali de destructione templi. Amplificatur autem ab occasione Christum damnandi, saltem ad plagas: eò quòd silebat: quod silentium illi poterant interpretari pro confessione. Sed quoniam non erant contenti damnare eum ad plagas: sed constituerant damnare ad mortem: idcirco occasionem hanc omittunt, & aliam ipsius damnandi causam quærunt. Secunda pars processus, videlicet quæstio Domino à pontifice maximo proposita, declaratur ex eventu, videlicet responsio Christi: quo se Christum esse apertè confitetur, atque illud insuper à signo probat. Tum responsum hoc declaratur è suo eventu in pontifice maximo, videlicet diruptione vestium ad significandum dolorem quem percipiat ex audita blasphemia. Tertia pars, videl. damnatio ipsa, declaratur expositione causæ seu indicatione criminis propter quod sit damnandus, videlicet

propter blaſphemiam. Quarta pars proceſſus, per miſſio illuſionis, amplificatur enumeratione diverſarum contumeliarum.

DECIMA PARS.

Negatio Chriſti per Petrum.

66 *Quum verò Petrus eſſet in aula inferius, venit quædam ex ancillis Pontificis maximi:*

67 *Et quum videret Petrũ ſe calefacere, intuita in eum, dixit, Et tu cum Nazareno Jeſu eras.*

68 *Ipſe verò negavit, dicens, Non novi neque ſcio quid tu dicas. Et exivit foras in veſtibulum: & gallus cecinit.*

66 *Tunc ancilla quum rurſus vidiſſet eum, cœpit dicere iis qui adſtabant, Hic eſt* unus *ex ipſis.*

70 *Ipſe verò rurſum negavit. Et rurſum paulo pòſt qui adſtabant dixerunt Petro, Verè ex ipſis es: etenim Galilæus es, & loquutio tua ſimilis eſt.*

71 *Ipſe autem cœpit execrari* ſe *&* jurare, dicens, *Non novi hominem iſtum quem dicitis.*

72 *Tunc ſecundò gallus cecinit. & recordatus eſt Petrus verborum quæ dixerat ei Jeſus. Priuſquam gallus bis cecinerit, ter me abnegabis. Et quum* ſe *propripuiſſet, flevit.*

Negatio Petri qua negavit ſeſe Chriſti diſcipulum eſſe, narratur *trina:* prima v. 66. 67. 68. ſecunda v. 69. & initio ſeptuageſimi: tertia, verbis reliquis ejuſdem verſus. *Prima* negatio declaratur ex loco, cauſa procatarctica, & eventis. Locus fuit inferior pars aulæ, v. 66. Cauſa procatarctica fuit indicatio ancillæ, v. 66. & 67. Eventa narrantur duo: unus, quòd Petrus exivit in veſtibulum: alter, quòd gallus cecinit parte poſteriore v. 68. *Secunda* negatio declaratur è cauſa procatarctica; quæ fuit iterum indicatio ancillæ: ſed alterius, ut teſtatur Matthæus. Ubi ſimul ex ſerie narrationis intelligendus eſt locus ubi iſta negatio eſt facta, videl. in veſtibulo: ex collatione verſus præcedentis. *Tertia* negatio partim declaratur, partim amplificatur. Declaratur à tempore, cauſa procatarctica, & eventis. Tempus ſignificatur his verbis, v. 70. μετὰ μικρὸν, *paulò pòſt*, videl. poſt negationem ſecundam: ex collatione ſententiæ præcedentis. Cauſa procatarctica fuit indicatio adſtan-

adstantitiũ. Hæc amplificatur ex duobus adjunctis, videl. assẽveratione & probatione, v. 70. Assẽveratio continetur adverbio ἀληθῶς, id est, *vere*. Probatio ducitur ex adjunctis duobus: patria & idiomate. Quæ utraque probatio verisimilis tantùm erat, non autem certa. Poterat enim aliquis esse Galilæus, & idiomate Galilæorum uti, etsi non esset discipulus Christi. quo fit ut argumenta hæc non possint concludi nisi ἀσυλλογίστως, nempe sic:

Discipuli Jesu sunt Galilæi & loquuntur Galilaicè.
Tu es Galilæus & loqueris Galilaicè.
Ergo tu es è discipulis Christi.

Ἀσυλλογισία est ex puris affirmantibus in secunda figura. Eventa, alia ex aliis consecuta, narrantur v. ult. numero quatuor. 1. Gallus secundò cecinit. 2. Petrus recordatus est verborum Domini. 3. Proripuit se. 4. Flevit. Porrò amplificatio hujus negationis continetur v. 71. ab adjuncto jurejurando.

SCHOLIA IN CAP. XIV.

1 *Duobus post diebus.* μετὰ δύο ἡμέρας. Ad verb. Post duos dies: id est, post biduum: seu, biduo pòst: nempe postquam Dominus sermonem illum de excidio urbis ac tẽpli in monte habuisset: qui sermo recitatus est capite præcedente.

2 *Ne in festo.* μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ. Scil. prehendamus & trucidemus Jesum: ex collatione versus præcedentis. Et, *In festo*, scil. instante: nempe in Paschate: ex collatione versus 1. Id ipsum in Græco innuit articulus. *Ne forte.* μήποτε. Non extat (quod sciam) alia vox apud Latinos, qua istud ποτὲ sic usurpatum, possit exprimi. Aliâs præstaret ab ista voce (*forte* scilicet) abstinere: quum apud Latinos Ethnicos fuerit fictitiæ deæ nomen: quę nunc Fors, nunc Fortuna ab illis appellata fuit. Sed licet nobis eâ voce uti, quatenus significamus eventum nobis incertum. Et sic Apostoli non abhorruerunt à verbo χρηματίζειν & nomine χρηματισμὸς: quibus vocibus Græci ethnici ad impia sua & diabolica oracula significanda usi fuerunt. Valeat igitur hic quoque illud: Puris omnia pura. *Fiat.* ἴσως. Pro, γένοιτο:

quo verbo utitur Matthæus.

3 *Leprosi.* Τοῦ λεπροῦ. Scil. cognomento: eò quòd fuisset leprosus. nam si tunc adhuc leprosus fuisset: Jesus utpote legis divinæ observantissimus, nequaquam cum illo cepisset cibum: quum leprosis conversatione sanorum lege Dei esset interdictum. *Venerat.* ἦλθε. Scilicet sexto die ante pascha: ut testatur Johannes cap. 12. v. 1. Igitur hîc observatus est ordo non naturæ & temporis, sed prudentiæ: vult enim Evangelista exponere, qua occasione factum sit ut sacerdotes & scribæ Jesum prehenderent & trucidarent in festo paschæ, contrà quàm decreverant, suprà ver. 2. Quia scilicet noluerunt dimittere occasionem sibi oblatam à proditore Juda: qui quidem occasionem Domini prodendi sumpsit ex eo quod hîc narratur. *Mulier.* γυνὴ. Videlicet Maria soror Lazari, Johan. 12. v 3. *Nardi liquidæ.* νάρδου πιστικῆς. Quasi dicas, *potabilis*: si nomen πιστικῆς, derivatum sit à verbo πίω, id est, bibo. Aliis magis placet deductum esse à nomine πίστις, id est, fides: ut significetur nardus quasi fidelis seu bonæ fidei, hoc est, minimè adulterata. *Effuderat ei in caput.* κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς. Pronomen αὐτοῦ trajectum est. Potest etiam verti, & fortasse rectiùs: *Effuderat secundum caput ejus*: ut significetur, mulierem accessisse à tergo, & unguentum illud Domino in occiput effudisse. Sicut antè id tempus fecerat mulier illa peccatrix, de qua Luc. 7. v. 36. & seq.

7 *Habebitis.* ἕξετε. Ad verb. Habetis. Enallage temporis. Sic mox, *Poteritis.* δύνασθε: pro δυνήσεσθε. Et in fine versus iterum, ἕξετε.

8 *Quod potuit.* ὃ εἶχεν. Ad verb. Quod habuit. Græcismus. *Ad funerationem.* εἰς τὸν ἐνταφιασμόν. Vide scholia in Matth. 26. 12.

9 *In toto mundo.* εἰς ὅλον τὸν κόσμον. Pro, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Enallage, qualis suprà 13. 16. ὁ εἰς τὸ ἀγρὸν ὤν.

11 *Pecuniam.* ἀργύριον. Ad verb. Argentum. Metonymia materiæ. *Polliciti sunt.* ἐπηγγείλαντο. Atque etiam mox triginta argenteos nummos illi appenderunt, Matth. 26. 15. quos haudubiè apud certum hominem deposuerunt, qui illos

illos Judæ, proditione factâ, statim daret.

12 *Primo die Azymorum.* τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων. Videlicet die decimoquarto mensis Abib, qui Martio nostro plurimùm respondet: Exod. 12. v. 18. Incipiebant autem Hebræi diem civilem (id est, 24. horis constantem) à vespera seu prima vigilia noctis. Quare hîc more Romanorum nomine primi diei Azymorum comprehenditur dies naturalis, vesperam illam unde iste dies secundùm Hebræos incipiebat, proximè præcedens. Etenim quæ hîc narrantur de pręparatione paschatis, ante illam vesperam facta esse oportuit. Et infrà v. 17. Dominus vesperâ factâ, dicitur accubuisse, scilicet ad pascha edendum. Intelligitur autem vespera diei illius quo paratum fuerat pascha: ut planum est ex serie narrationis. *Quando pascha mactabant.* ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον. Scilicet Judæi, ex præscripto legis modò citatæ ex libro secundo Mosis. Quanquam illo anno Judæi hanc legem neglexerunt, proq; illa observarunt traditionem Rabbinorum, transferentes scil. festum paschatis in diem sequentẽ, propterea quòd dies ille sequens illo anno esset dies sabbathi. Solebant enim festum paschatis, si in diem dici sabbathi contiguum incideret, in ipsum diem sabbathi transferre: ne populus diuturnitate cessationis ab operibus servilibus, ac inprimis à coquendis cibis, nimiùm gravaretur. Hinc sabbathum istud appellatur magnum, propterea quòd duæ in illo solennitate cõcurrebant: una scil. sabbathi, altera paschatis. Judæos autem illo anno pascha non eodem die celebrasse, quo Dominus illud celebravit ex præscripto Legis: planum est ex serie narrationis. Etenim die illo Jesum ceperunt, ad tribunal suum stiterunt, damnarunt, apud Pilatum accusarunt, & crucifixioni Domini spectatores astiterunt. Et dies ille à Johanne nominatur parasceve Judæorum. Et apud eundem dicuntur principes sacerdotum, Dominum ad Pilatum deductum accusantes, noluisse ingredi prætorium: ne polluerentur, sed ut possent edere pascha, nempe postridie: hoc est, in illius diei (secundum morem Romanorum loquendo) vespera. nam à vespera (ut dictum est) Judæi diem incipiebant: & in vespera agnus

paſchalis edendus erat. Vide ſcholia in Matth. 26. v. 17.

13 *In urbem.* εἰς τὴν πόλιν. Scil. Hieroſolymam. Græcũ expreſſius, propter articulum.

14 *Quocunque.* ὅπου. Id eſt, In quamcunq; domum. Synecdoche generis. *Diverſorium.* τὸ κατάλυμα. Id eſt, cœnaculum: ut declaratur verſu ſequente. Synecdoche integri.

19 *Sigillatim.* εἷς καθ' εἷς. Puto ſcribendum, εἷς καθ' εἷς: id eſt, *Unus & deinde unus*, nam καθ' valet κἀ, εἶτα ſicut κἀγὼ valet κἀ ἐγὼ. Videtur eſſe repetitio ejusdem nominis Hebraica: cujus exempla recitavimus ſuprà ad v. 27. cap. 13. in illa verba, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ.

20 *Qui intingit.* ὁ ἐμβαπτόμενος. Scil. τὸ ψωμίον, id eſt, offulam ſeu buccellam: ut plenè ac propriè loquitur Johannes, Joh. 13. 26. Vel, τὴν χεῖρα, id eſt, manum: ut metonymicè loquitur Matthæus, Matth. 26. 23.

21 *Bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille.* καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος. Verba duo extrema redundant: aut redundat pronomen αὐτῷ. Nam alterutro horum expuncto, oratio nihilominùs erit perfecta.

22 *Hoc eſt corpus meum.* τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Id eſt, Hic panis eſt ſignum corporis mei: quatenus ſcil. illud pro vobis datur in mortem: ut declaratur apud Lucam: hoc eſt; teſtificans, corpus meum pro vobis datum iri in mortem.

23 *Accepto poculo.* λαβὼν τὸ ποτήριον. Videlicet quod appoſitum erat in menſa: id quod notat articulus. Significat autem nomen Græcum non propriè id quod Germani appellant *ein kelch*: hoc enim apud Græcos eſt κύλιξ, & apud Latinos *calix*: ſed in genere ſignificat *poculum*. Erat autem in illo poculo vinum: ut percipitur ex verbis Domini, Non bibam ampliùs ex fructu vitis, v. 25. *Biberunt ex eo omnes.* ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες. Scilicet ut juſſi erant à Domino, Matth. 26. 27. Idque hauddubiè ordine κατὰ κυκλοφορίαν, initio facto ab eo cui Dominus proximè aſſidenti poculum præbuerat.

24 *Hoc.* τοῦτο. Videlicet, hoc poculum: ex v. præcedente. Id eſt, Vinum quod hoc poculo continetur. Metonymia ſubjecti: quam vulgo nominant ſynecdochen continentis pro contento. En tropum in verbis Domini manifeſtum:

quem

quem tamen in illis statuere, quidam hodie nefas ducunt. Sanguis *ille novi foederis.* τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. Vide scholia in Matthæum. *Pro multis.* ὑπὲρ πολλῶν. Id est, ὑπὲρ πολλῶν. Videlicet pro OMNIBUS & SOLIS electis.

25 *Nequaquam.* οὐκέτι μή In Græco pro una particula negante sunt tres: quæ vehementissimè negant. Aliâs solent esse duæ.

30 *Hodie.* σήμερον. Isto adverbio significatur dies quem Romani nominarunt civilem, spatium scilicet 24. horarũ. *Hac* inquam *nocte.* ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ. Particulam *inquam* supplevi perspicuitatis causâ. Cohærent enim hæc verba cum præcedenti adverbio, *Hodie*, per appositionem ἐπεξηγητικὴν, quo totum declaratur per partem. Nox enim diei civilis pars est, & quidem pars anterior: quippe à vespera, seu prima vigilia noctis diem civilem incipiebant Hebræi. Romani verò à media nocte, ac proinde à vigilia tertia.

31 *Etiam omnes.* καὶ πάντες. Scilicet reliqui discipuli qui cum Domino erant.

32 *Considite.* καθίσατε. At sedete, valet κάθησθε.

35 *Abiret ab ipso.* παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ. vel, Præteriret ipsum. Ad verb. Præteriret ab ipso: hoc est, præteriret abiens ab ipso. *Hora illa.* ἡ ὥρα. Id est, tempus illud instans passionis suæ in cruce: vel potiùs ipsa illa passio, per metonymiam adjuncti. Etenim passioni Domini certum tempus per Dei providentiam adjunctum fuit, quòd jam tum instabat. Articulus est emphaticus, innuens rem in Scriptura testatam & Domino notam.

36 *Verùm non quod ego volo.* ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω. Scil. *fiat.* τί pro ὅ, τι. Si placeat vertere: *Verùm non, quid ego velim, sed quid tu*: subaudire oportebit; Spectandum vel faciendum est.

37 Vel *unam horam.* μίαν ὥραν Supplevi notam majoris, perspicuitatis causâ. Dico autem conjunctionem *Vel* sic usurpatam, esse notam majoris: quia innuit ratiocinationem ἀπὸ τοῦ μᾶλλον, ab eo quod magis videtur. quasi dicat: Quantò minùs posses vigilare horas plures? quum ne unam quidem horam vigilare mecum possis.

41 *Hora illa.* ἡ ὥρα. Vide suprà in ver. 35. *Filius hominis.* ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Id est, Ego. πρόσωπον è causa procreante. *Traditur.* παραδίδοται. Id est, Jam jam tradetur. *In manus peccatorum.* εἰς τὰς χεῖρας τῶν ἁμαρτωλῶν. Id est, ethnicorum, hominum profanorum & idololatrarum, videl. Romanorum. Synecdoche generis κατ' ἐξοχήν. Sic Act. 2. v. 23. διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες. vertendum: Manibus sceleratorum affixistis: potiùs quàm, manibus sceleratis. Confer Gal. 2. 15.

43 *A principibus sacerdotum* &c. παρὰ τῶν ἀρχιερέων &c. scil. πεμφθέντες seu ἀπεσταλμένοι, id est, missi.

44 *Is est.* αὐτός ἐστι. Scil. Jesus ille Nazarenus quem debetis comprehendere. *Comprehendite eum.* κρατήσατε αὐτόν. Pro, κρατήσατε οὖν αὐτόν: Comprehendite igitur eum. Sermo concisus, serviens decoro, propter τὴν ὁρμὴν τοῦ, celeritatem informantis & monentis.

47 *Auriculam.* τὸ ὠτίον. Luc. 22. v. 50. habetur τὸ οὖς, id est, aurem. Sed diminutiva ista pro primitivis etiam apud disertiores Græciæ & Latii scriptores usurpantur.

49 *Sed* hæc fiunt *ut impleatur* &c. ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσι &c. Pro, ἀλλὰ ταῦτα γέγονεν ἵνα πληρωθῶσιν &c. Supplementum istud peto ex collatione Matth. 26. v. 56.

50 *Omnes.* πάντες. Scil. qui cum ipso erant, videl. undecim discipuli. *Fugerunt.* ἔφυγον. Sicut eis prædixerat Dominus, suprà v. 27.

51 *Juvenes.* οἱ νεανίσκοι. Nempe qui erant cum Juda proditore.

53 *Et convenerunt cum eo.* καὶ συνέρχονται αὐτῷ. Vel ad eum: scil. pontificem maximum: nempe domi ipsius.

54 *Calefaciens sese.* θερμαινόμενος. Verbum vocis mediæ, significationem habens reciprocam.

55 *Sed non inveniebant.* καὶ οὐχ &c. Copulativa pro adversativa. Potest etiã verti: Et *tamen* non: vel, attamen non.

56 *Sed non erant* &c. καὶ οὐκ ἦσαν &c. Rursus copulativa pro adversativa. *Paria.* ἴσαι. scil. supplicio capitis. hoc est, nihil tale de eo testabantur quod dignum videretur supplicio capitis. *Testimonia.* αἱ μαρτυρίαι. Hoc est, facta Jesu de quibus illi testimonium dicebant. Metonymia adjuncti.

Testi-

Testimonia eorum non sufficiebant ad damnandum Jesum morte: quod supplicium judices illi quærebant.

58 *Nos audivimus.* ὅτι ἡμεῖς ἠκούσαμεν. Conjunctio ὅτι servit mimesi seu prosopopœiæ. Sic mox, ὅτι ἐγώ. &c.

59 *Par.* ἴσον. Ut versu 56.

60 *Quid* est quod *isti* &c. τί ἔτι &c. Ellipsis Hebraica: qualis Gen. 3. 13. Quid hoc *est quod* fecisti. Et Exod. 4. 2. Quid hoc *est quod* in manu tua *est*.

61 *Benedicti.* τοῦ εὐλογητοῦ. Id est, Dei. Metonymia adjuncti. Benedictus enim hîc intelligitur is cui sancti Angeli & homines benedicunt, hoc est, quem laudant & prædicant.

62 *Ego sum.* ἐγώ εἰμί, Scilicet Christus, Filius ille Benedicti: ex versu præcedente. Puto autem, verbum εἰμὶ hoc loco non pati ἔγκλισιν: quum in ipso sit emphasis, quam ἐγκλισις tolleret. Quare genuinum illi accentum tribuimus. At suprà cap. 6. v. 50. diversa est ratio. Ibi enim emphasis est in pronomine ἐγώ: ac proinde εἰμὶ patitur ἔγκλισιν. Quum enim discipuli videntes Dominum inambulantem mari, exterriti essent, eò quòd putarent se videre spectrum: exclamat Dominus, ἐγώ εἰμι: EGO sum. quasi dicat, Non est spectrum mentiens speciē meam, id quod cernitis: sed EGO ipse sum. Sic Johan 18. v. 5. quum ministri pontificum, quærentes illum ad prehendendum, dixissent, se quærere Jesum illum Nazarenum: respondit Dominus, ἐγώ εἰμι, EGO sum: scilicet Jesus ille Nazarenus. Ubi iterum emphasis est in pronomine ἐγώ: quasi dicat, EGO: & non alius quispiam ex iis qui mecum sunt. *Et videbitis.* καὶ ὄψεσθε. Quasi dicat: Et ut certò scias, nec ullatenus dubites, me illum esse: confirmabo hanc meā confessionem signo evidentissimo &c. *Ad dexteram potentiæ* Dei. ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. Id est, Sedentem ad dextram Dei, ac proinde potenter dominantem in hostes suos: in quorum numero & vos estis. Sic Psal. 110. Sede ad dextram meam. Et mox: Dominare in medio inimicorum tuorum. *Cum nubibus.* μετὰ τῶν νεφελῶν. Quasi comitatum seu cinctum nubibus. Pro hoc Matthæus habet, ἐπὶ τῶν νεφελῶν, super nubes, hoc est, vectum nubibus. At supra. 13.

26. habetur, venturum ἐν νεφέλαις, in nubibus: id est, quasi indutum nubibus.

63 *Quid adhuc nobis opus est testibus?* τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; Scil. Ad istum morte mulctandum.

64 *Condemnarunt* eum dicentes, *ipsum teneri &c.* κατέκριναν αὐτὸν ἔνοχον &c. Ellipsis manifesta: pro eo quod est, κατέκριναν αὐτὸν, λέγοντες αὐτὸν ἔνοχον θανάτου. Confer Matth. 26. v. 66.

65 *Vaticinare.* προφήτευσον. Id est, Indica nobis per arcanam revelationem (quandoquidem propheta es) quisnam ille ex nobis sit qui te percusserit. Ex collatione Matth. 26. 68. Synecdoche generis. Est autem sarcasmus amarulentissimus.

66 *In aula inferiùs.* ἐν τῇ αὐλῇ κάτω. Id est: In eodē quidē atrio in quo stabat Jesus coram concilio sacerdotum, sed in parte illius inferiore: quòd nimirum pars illa ubi patres isti considebant, erat paulo altior parte reliqua.

67 *Se calefacere.* θερμαινόμενον. Pro, θερμαινόμενος. Græcismus. Estque vox media, significationis reciprocæ. *Eras.* ἦσθα. Id est, versabaris tanquam discipulus.

68 *Foras.* ἔξω. Non quidem extra domum pontificis maximi, sed extra aulam illam sive atrium interius in quo habebatur consessus sacerdotum. Ut manifestum evadit ex eo, quod sequitur, εἰς τὸ προαύλιον.

69 *Tunc ancilla.* ἡ παιδίσκη. Vide scholia in Matth. 26. v. 71. *Hic est.* ὅτι οὗτος &c. Conjunctio ὅτι servit mimesi seu prosopopœiæ.

70 *Similis est.* ὁμοιάζει. Scil. loquutioni Jesu. Vel, loquutioni Galilæorum: id est, idiomati: ut vulgo appellamus. Tunc autem vertendum erit: *Nam loquutio tua similis est.* ut scilicet intelligatur, argumentum subjungi ad probandum, quòd Petrus sit Galilæus.

71 *Execrari* se. ἀναθεματίζειν. Subauditur ἑαυτόν. hoc est, diris se devovere, sibi extrema mala imprecari. *Non novi.* ὅτι οὐκ οἶδα. Conjunctio ὅτι servit mimesi. Sic mox, ὅτι ἄρτι &c.

72 *Quum* se *propripuisset.* ἐπιβαλὼν. Scilicet ex domo Pontificis maximi in locum alium. Matthæus habet: καὶ ἐξελθὼν

ἐξελθὼν ἔξω : id est, Et egressus foras.

OBSERVATIONES EX CAP. XIV.

Ex parte prima, vide Mat. 26. primis quinque versibus.
Ex parte secunda, vide Matth. 26. à v. 6. usque ad 13.
Ex parte tertia, vide Matth. 26 v. 14. 15. & 16.
Ex parte quarta, vide Matth. 26. à v. 17. usque ad 26.
Ex parte quinta, vide Matth. 26. à v. 16 usque ad 30.
Ex parte sexta, vide Matth. 26. à v. 30. usque ad 36.
Ex parte septima, vide Matth. 26. à v. 36. usque ad 47.
Ex parte octava, vide Matth. 26. à v. 47. usque ad 57.
Ex parte nona, vide Matth. 26. à v. 57. usque ad 69.
Ex parte decima, vide Matth. 26. à v. 69. usque ad finem capitis.

ANALYSIS CAP. XV.

ARGUMENTUM.

Superiore capite narrata sunt ea quæ passus est Dominus noster primùm in horto, deinde in domo sive aula pontificis maximi: Deinceps narrantur ea quæ passus est apud Pilatum judicem ac præsidem Judææ, usque ad versum 21. deinde in via quum duceretur ad supplicium, v. 21. tum in ipso supplicii loco, usque ad ver. 42. Postremò narratur, quomodo sit sepultus, usq; ad finem capitis. Ita sunt quatuor hujus capitis partes.

PRIMA PARS.

Quæ passus est apud Pilatum.

STatim autem diluculo, consilio inito, summi sacerdotes cum senioribus & scribis, denique totus consessus, vinctum Jesum abduxerunt, tradiderúntque Pilato.

2 *Tunc interrogavit eum Pilatus, Túne es ille rex Judæorum? ipse verò respondens dixit ei, Tu dicis.*

3 *Et multum accusabant eum principes sacerdotum.*

4 *Pilatus autem rursus interrogavit eum dicens, Non respondes quicquam? ecce, quàm multa adversus te testificantur!*

5 *Jesus autem nihil amplius respondit, adeò ut miraretur Pilatus.*

6 *In festo autem dimittebat eis unum ex vinctis quemcunque postulassent.*

7 *Erat verò quidam qui dicebatur Barabbas, vinctus cum seditionis sociis, qui cædem per seditionem fecerant.*

8 *Et quum vociferans turba cœpit petere* ut faceret *prout semper ipsis fecerat.*

9 *Pilatus autem respondit eis, dicens; Vultis dimittam vobis regem illum Judæorum?*

10 *(Noverat enim eum per invidiam traditum fuisse à principibus sacerdotum)*

11 *Principes verò sacerdotum concitarunt turbam ut potius Barabbam ipsis dimitteret.*

12 *Tum Pilatus respondens, rursum dixit eis, Quid ergo vultis faciam isto quem dicitis regem Judæorum?*

13 *Ipsi verò rursum clamaverunt, Crucifige eum.*

14 *Pilatus autem dicebat eis, Nam quid mali fecit? Illi autem ampliùs clamaverunt, Crucifige eum.*

15 *Pilatus autem volens turbæ satisfacere, dimisit eis Barabbam, & Jesum flagellatum tradidit ut crucifigeretur.*

16 *Milites verò abduxerunt eum intra aulam, (quod est prætorium) & convocarunt totam cohortem.*

17 *Et induerunt eum purpurâ, & plexâ coronâ spineâ, circumposuerunt ei* illam.

18 *Et cœperunt eum salutare,* dicentes, *Ave rex Judæorum.*

19 *Et verberabant ejus caput calamo, & inspuebant in eum, ac summissis genibus adorabant eum.*

20 *Quum autem illusissent ei, exuerunt eum purpurâ, & induerunt eum vestimentis ipsius: eduxerunt q; ut crucifigerent eum.*

ISTius narrationis *membra* sunt hæc *decem*. Primò, Jesus traditur Pilato, v. 1. Secundò, confitetur se esse Christum, v. 2. Tertiò, ad cætera crimina silet, v. 3. 4. & 5. Quartò, à Pilato judicatur & pronuntiatur innocens: unde is ipsum studet dimittere: sed frustrà: obstantibus principibus sacerdotum & populo: à v. 6. usque ad 15. Quintò, præfertur ei, tanquam minùs nocens, Barabbas latro: iis ipsis versibus, ac præterea v. 15. Sextò, postulatur ad cru-

cem,

cem, v. 13. & 14. Septimò, flagellatur, v. 14. Octavò, traditur crucifigendus: v. eod. Nonò, illuditur à militibus Pilati, v. 16. & deinceps. Decimò, educitur ad supplicium, in fine versus 20.

SECUNDA PARS.

Quid passus in via.

21 *Præterea angariarunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum (venientem rure, patrem Alexandri & Rufi) ut portaret crucem ejus.*

Narrationis hujus *scopus* est, significare, quòd Jesus sub onere crucis defecerit. hæc enim causa milites qui eum ducebant, movit: ut Simonem istum ad crucem ejus portandam cogerent.

TERTIA PARS.

Quæ passus in loco supplicii.

22 *Duxerunt q; eum in locum Golgotha: quod est, si interpretaris, Calvariæ locus.*

23 *Et dederunt ei bibendum myrrhatum vinum: ipse verò non sumpsit.*

24 *Quumq; crucifixissent eum, partiti sunt vestimenta ejus, jactâ sorte super ea, quis quid tolleret.*

25 *Erat autem hora tertia quando crucifixerunt eum.*

26 *Erátque inscriptio criminis ipsius inscripta* his verbis, REX ILLE JUDAEORUM.

27 *Crucifixerunt etiam cum eo duos latrones: unum ad dextram, & alterum ad sinistram ejus.*

28 *Et impleta est Scriptura quæ dicit, Et cum sceleratis numeratus est.*

29 *Et qui prætereibant, conviciabantur ei, moventes capita sua, ac dicentes, Vah,* Tu *qui destruis templum, & triduò ædificas!*

30 *Serva teipsum, & descende de cruce.*

31 *Similiter autem & principes sacerdotum illudentes, dicebant alii ad alios cum scribis; Alios servavit, seipsum servare non potest?*

32 *Christus, rex ille Israelis, descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus.* Quin *& qui crucifixi erant cum eo, probris afficiebant eum.*

33 *Quum verò advenisset hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram, usque ad horam nonam.*

34 *Et horâ nonâ clamavit Jesus voce magnâ, dicens, Eloi, Eloi, lamma sabachthani? quod est, si quis interpretetur, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?*

35 *Et quidam adstantium quum audissent, dicebant, Ecce, Eliam vocat.*

36 *Cucurrit autem quidam, & impletâ spongiâ aceto, & circumpositâ calamo, dedit ei potum, dicens, Sinite: videamus an veniat Elias ad detrahendum eum.*

37 *Jesus autem emissâ voce magnâ, expiravit.*

38 *Et velum templi fissum est in duas partes, à summo usque ad imum.*

39 *Quum videsset autem Centurio qui adstabat ipsi ex adverso, eum ita emisso clamore expirasse, dixit; Verè homo iste, Filius erat Dei.*

40 *Erant autem etiam mulieres procul spectantes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi parvi & Joſe mater, & Salome:*

41 *Quæ etiam, quum esset in Galilæa, sequutæ fuerant eum, & ministraverant ei; aliæq; multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam.*

Quæ Dominus in loco supplicii passus est, narrantur hoc loco ista *novem*. Primò, datum est ei bibendum vinum mirrhatum, v. 23. Secundò, crucifixus est, v. 24. Tertiò, partiti sunt vestimenta ejus, v, 24. Quartò, suspensus est inter duos latrones, v. 27. Quintò, convitiis impetitus ac prosciſſus est, v. 29. & deinceps. Sextò, clamauit, Eloi, Eloi, &c. v. 34. Septimò, quidam illa verba detorserunt in alienum sensum ad illudendum Domino, v. 35. Octavò, quidã præbuit ei bibendũ acetum, additâ irrisione, v. 36. Nonò, expiravit, v. 37. Primum membrum narrationis declaratur ex eventu: quòd scil. Dominus vinum illud recusârit. Secundum membrũ ex adjuncto tempore, v. 25. ex adjuncto titulo crucis, v 26. ex adjunctis sociis crucifixionis, v. 27. ex eventu, videl. tenebris miraculosis, v. 33. & denique ex adjunctis testibus, videl sanctis mulieribus, v. 40. & 41. Tertiũ ex adjuncto modo agendi, videl. factione sortis, v. 24. Quartum

tum ex adjuncta impletione prophetiæ, v. 28. quæ exstat Esa. 53. v. 12. Quintum ex distributione: quòd scil. cõvitiis proscissus sit tũ à populo, v. 29. & 30: tum à principibus sacerdotũ, v. 31. & 32. tum verò etiã ab ipsis qui cum eo erãt crucifixi, id est, ab illorum altero: in fine v. 32. Sextũ membrum declaratur ab adjuncta vocis intentione; & verborum quibus exclamavit, interpretatione, v. 34. Septimum simpliciter narratur, v. 35. Octavũ declaratur ab adjunctis instrumentis, spongia & calamo, v. 36. Nonum ab adjuncto clamore, v. 37: & evẽtis duobus: videl. fissione veli in tẽplo, v. 38. & testificatione centurionis de innocẽtia Jesu, v. 39.

QUARTA PARS.

De sepultura Jesu.

42 *Quum autem serum* dici *jam esset*, (*quoniam erat parasceve, hoc est, ante sabbathum*)

43 *Veniens Joseph* ortus *ex Arimathæa, honestus Senator, qui & ipse expectabat regnum Dei, fidenti animo introiit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu.*

44 *Pilatus autem miratus est, si jam mortuus esset: & advocato centurione, interrogavit eum an jamdudũ mortuus fuisset.*

45 *Et* re *cognitâ ex centurione, donavit corpus Josepho.*

46 *Is autem emit sindonem, & detractum eum involvit sindone: depositque in monumento quod erat excisum è petra: & advolvit saxum ad ostium monumenti.*

47 *Maria Magdalene verò & Maria Jose* mater, *spectabant ubi poneretur.*

Sepultura Jesu describitur à tempore, ab efficiente, ab actionibus illius efficientis, & ab adjunctis testibus. *Tempus* indicatur, v. 42. *Efficiens* in principio, v. 43. Is fuit Joseph quidam: qui describitur à patria, ab adjuncta dignitate seu conditione vitæ honorata, & ab adjuncta pietate. *Actiones Josephi* narrantur duplices: nempe quid egerit ut corpus Jesu impetraret, ejusque sepeliendi jus haberet: deinde quid egerit, illo impetrato. Ut corpus impetraret, petiit illud à Pilato. Hæc petitio amplificatur & illustratur. Amplificatur à modo agendi, quòd scilicet petierit coràm, quũ introiisset ad Pilatum: qui ipse introitus amplificatur

ab adjuncta audacia, id est animi magnitudine: quia scil. verendum erat, ne pateretur repulsam: v. 43. Illustratur autem petitio Josephi ex eventis duobus: admiratione Pilati ob mortem Jesu, v. 44. & donatione corporis Jesu, v. 45. Cæterùm admiratio ista Pilati illustratur & ipsa è suis eventis, videl. inquisitione & cognitione veritatis, v. 44. & 45. Atque hæc de actione ad corpus impetrandum. Actiones post corpus impetratum narrantur, v. 46 numero quinque. nam primò emit sindonem, secundò corpus Jesu detraxit de cruce, tertiò involvit illud sindone, quartò deposuit in monumento, quintò advolvit saxum ad ostium monumenti. Ex his membrum quartum amplificatur ex adjuncta monumenti conditione, quòd scil. fuerit excisum è petra. *Testes* sepulturæ indicantur, v. ult. videl. duæ sanctæ mulieres.

SCHOLIA IN CAP. XV.

1 *Denique totus consessus.* καὶ ὅλον τὸ συνέδριον. Sive totum concilium. Conjunctionem autem καὶ hîc servire præcisioni: planum evadit ex collatione incisi præcedentis, in quo plerique ordines ex quibus concilium sive consessus ille constabat, enumerantur: non tamen omnes: quia omissi sunt Pharisæi & sacerdotes non summi.

2 *Tu dicis.* σὺ λέγεις. Id est, Ego sum. Vide scholia in Mat. 27. 11.

6 *In festo autem.* κατὰ δὲ ἑορτὴν. Scil. Paschatis. Pro, κατὰ τὴν ἑορτὴν. Ellipsis articuli. Vide scholia in Matth. 27. 15.

9 *Vultis dimittam.* θέλετε ἀπολύσω. Pro, ἵνα ἀπολύσω: ut dimittam. Ellipsis conjunctionis causalis.

11 *Ut potiùs Barabbam ipsis dimitteret.* ἵνα μᾶλλον τὸν βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς. Id est, ut peterent Barabbam potiùs sibi dimitti. Metonymia subjecti: eaque non in nomine, sed in verbo, videl. in verbo ἀπολύσῃ. Errant igitur qui putant, Metonymiam locum tantùm habere in nominibus.

12 *Vultis faciam.* θέλετε ποιήσω. Pro, ἵνα ποιήσω: ut faciã. *Faciam isto quem dicitis.* ποιήσω ὃν λέγετε. Pro, ἐκεῖνον ὃν λέγετε. Ellipsis nominis (sive pronominis) antecedentis Græca. Id est: τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν: ut loquitur Matthæus. περίφρασις ex adjuncto. Videtur autem in Græca phrasi ἐλλείπειν præpositio

positio περὶ: ut integra oratio sit, τί οὖν ποιήσω περὶ Ἰησοῦ; In Latina autem phrasi videtur ἐλλείπειν præpositio DE, Græcæ illi respondens: ut integra oratio sit, Quid igitur faciam de Jesu? Cæterùm ad versionem illam Latinam illustrandam & confirmandam facit locus ille Ciceronis in tertia Verrina, quem Henricus Stephanus in suo Thesauro affert, videlicet: *Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis?* Simulque monet, quid inter illa verba Ciceronis & ista Pilati interesse videatur: nempe Pilatum non ita generaliter loqui: sed interrogare, quo supplicii genere Jesum afficiendum censeant Judæi. Et rectè. Perinde enim est ac si dicat Pilatus: Quum igitur nolitis Jesum dimitti, sed eum velitis supplicio affici: quæro ex vobis, quo genere supplicii illum afficiendum censeatis? Est igitur in hac phrasi, *Quid faciam illo*, τί ποιήσω ἐκεῖνον, synecdoche generis. Unde liquet errare eos qui putant, tropum non habere locum in verbis conjunctis. Facit quoque ad phrasin illam Latinam illustrandam & confirmandam illud Terentianum, *Quid te misero fiet, quem assiduè exedent?* Potest tamen etiam verti: Quid faciam isti &c. per casum scil. dativum. Sic enim & Cicero loquitur, pro Cecinna: Quid tu huic homini facias? Similiter & Græcè dici potest, atque adeò solet: τί ποιήσω τούτῳ τῷ ἀνθρώπῳ; Sicut Henr. Stephanus exemplis ex Platone & Demosthene, atque etiam ex Evangelista Matthæo prolatis docet. videl. ex cap. 21. v. 40. ὅταν οὖν ἔλθῃ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, τί ποιήσῃ τοῖς γεωργοῖς ἐκείνοις.

14 *Nam quid mali fecit?* τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; pro, τί οὖν κακὸν ἐποίησεν; Quid igitur mali fecit?

15 *Flagellatum.* φραγελλώσας. Postquam eum flagellasset, scil. Pilatus. Id est, flagellari per milites curasset suo mandato. Metonymia subjecti in verbo flagellandi. nam circa flagellationem mandatum Pilati occupabatur.

16 *Intra aulam.* ἔσω τῆς αὐλῆς. Scil. Pilati. *Quod est prætorium.* ὅ ἐστι πραιτώριον. Id est: Quæ aula nomine Romano appellabatur prætorium: eò quòd ibi jus diceret prætor sive præses.

17 *Et plexâ coronâ spinâ, circumposuerunt ei* illam. καὶ περι-

πθίασιν αὐτὸν, πλέξαντες ἀκάνθινον στέφανον. In Græco verba sunt trajecta. Apud Matthæum genuinus verborum ordo observatus est: cap.27.v.29.

25 *Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum.* Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. Copulativa pro relativa temporis. Intelligenda autem hic hora tertia pro more Judæorum, videlicet inde ab ortu solis. Nam diem unumquemq; naturalem (hoc est, quo sol super hemisphærium lucet) divisérunt in duodecim horas æquales, Joh. 11.9. incipientes numerare ab ortu solis. Cæterùm ex collatione hujus versiculi cum 34.& seq.usq; ad 38.colligitur, Jesum in cruce pependisse vivum quidem per sex horas, deinde mortuũ adhuc aliquãdiu: quippe expiravit horâ nona, & paulò pòst de cruce depositus est, v. 42. & deinceps.

31 *Seipsum servare non potest.* ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. Hæc sententia videtur legenda cum interrogatione, ut sit exclamatio σαρκαστικὴ, quasi dicant: Mira res est, quòd quum alios servarit, seipsum servare tamen non possit. Si verò alios servasset, utique seipsum quoque servare posset. At heus vos blasphemi, poterat quidẽ ille se servare, atq; etiã triduo pòst seipsum servavit surgẽdo à mortuis: sed nolebat tunc se servare è morte, quia volebat mori pro electis suis.

32 Quin &. ἀλλ. Pro, ἀλλὰ καὶ. Nam καὶ hic est nota majoris. quasi dicat: Non solùm hostes Jesu probris eum affecerunt: sed & socii supplicii: id quod indignissimè cõparatum erat: quum isti illum potiùs debuissent consolari. *Qui crucifixi erant cũ eo.* οἱ συσταυρωθέντες αὐτῷ. Id est, alter eorum: ut declarat Lucas 23.v.39.& seq. Synecdoche integri.

33 *Quum verò advenisset hora sexta, tenebræ factæ sunt.* γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης, σκότος &c. ἐγένετο. Sed quomodo hoc convenit cum narratione Johannis: qui cap. 19.v. 14. & seq. narrat, horâ sextâ Jesum à Pilato esse productum in conspectum populi, & cum populo actum de illo dimittendo, tandem verò ad populi clamores illis traditum ad crucifigendum? Si horâ sextâ traditus fuit ad crucifigendum: quomodo igitur horâ sextâ jam per tres horas (nempe inde ab hora tertia, sup.v.25.) in cruce pependerat? Nempe Johannes loquitur more Romanorum, horam sextam intelli-

intelligens eam quæ ſexta eſt à media nocte, unde Romani diem civilem inchoabant. Si ponamus, ſolem tunc Hieroſolymæ fuiſſe ortum quartâ circiter poſt mediam noctem horâ; tum diei naturalis, ſeu ab ortu ſolis, hora ſecunda iſta fuerit. Horæ igitur ſpatium fuerit elapſum inter traditionem Pilati qua Jeſum tradidit ad crucifigendum, & ipſam illius crucifixionem: Etenim horâ tertiâ crucifixus fuit, ſup.v.25. *Super totam terram.* ἐφ' ὅλην τὴν γῆν. Vide ſcholia in Matth.27.v.45.

34 *Eloí.* ἐλωΐ. Expreſſum videtur ex Hebræa voce אלוהי Elohí, vel potiùs ex Syra אלהי Elahí: quæ in Syriaca interpretatione habetur, nullo interim extante veſtigio literæ ה, id eſt, ſpiritus denſi: eò quòd Græci ſpiritus illius notam in media voce non adhibent, niſi quum concurrunt duo Rhó: ut ἐπιῤῥήμασι. Eſt autem אלוהי nomen אלוה cum affixo י, ex pronomine אני, id eſt, Ego. Veruntamen in Hebræo textu Pſalmi 22. unde iſta verba deprompta ſunt, habetur אלי Eli: quod eſt nomen אל cum affixo illo jod. Et iſtam vocem retinuit Matthæus. *Sabáchani.* σαβαχθανί. Vide ſcholia in Matthæum. *Deus mi.* ὁ θεός μου. Pro, τοῦ θεόν μου. ut habet Matthæus. Enallage caſus Attica.

39 *Filius erat Dei.* υἱὸς ἦν θεοῦ. Vide ſcholia in Matth.

42 *Erat paraſceve.* ἦν παρασκευή. Scil. ex conſuetudine Judæorũ. nam ex Lege Dei tum erat primus dies Azymorũ ſeu dies Paſchatis. Vide ſuprà ſcholia in v.12. capitis 14.

43 Ortus *ex Arimathæa.* ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας. Scil. ὤν, vel γεγονώς.

OBSERVATIONES EX CAP. XV.

Ex parte prima, vide Matth.27.à principio uſq; ad v.32.
Ex parte ſecunda, vide Matth.27.v.32.
Ex parte tertia, vide Matth.27.à v.33.uſque ad 57.
Ex parte quarta, vide Mat.27.à v.57. uſq; ad finem cap.

ANALYSIS CAP. XVI.

ARGVMENTVM.

In hoc capite narratur de Domini reſurrectione, legatione apoſtolorũ, aſcenſione in cælum, & ſeſſione ad dex-

tram Dei: quæ actiones omnes ad administrationem muneris regii pertinent. Nam resurrectione demonstravit se victorem ac dominum mortis & peccati & diaboli, hostiũ scilicet nostrorum spiritualium: legatione apostolorum ostendit se potestatem regiam in universum mundum à Patre accepisse: ascensione triumphum de illis hostibus egit: sessione ad dextram Dei exercere cœpit regiã suam potestatem in mundo secundùm humanam quoq; naturam gubernando. Distingui autem potest hoc caput in *tres partes:* in quarum prima narrantur aliquot testimonia resurrectionis Domini, usque ad v. 15. In secunda narratur legatio apostolorum, usque ad v. 19. In tertia narratur ascensio & sessio ad dextram Dei, duobus versibus ultimis.

PRIMA PARS.

Testimonia resurrectionis Domini.

ET quum exactum esset Sabbathum; Maria Magdalene, & Maria Jacobi mater *& Salome, emerant aromata, ut venientes ungerent eum.*

2 *Itaque valde mane, primo* die *hebdomadis veniunt ad monumentum, exorto sole.*

3 *Dicebántque inter se, Quis devolvet nobis lapidem abostio monumenti?*

4 *Post quum suspexissent, conspiciunt lapidem esse devolutum: nam erat magnus valde.*

5 *Ingressæ igitur in monumentum, viderunt juvenem sedentem ad dextram, amictum stolâ candidâ, & expaverunt.*

6 *Ipse verò dixit eis, Ne expaveſcite: Jesum illum quæritis Nazarenum qui fuit crucifixus: resurrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerant eum.*

7 *Sed abite, dicite discipulis ejus & Petro,* ipsum *præire vobis in Galilæam: illic eum videbitis, prout dixit vobis.*

8 *Tunc abeuntes citò, fugerunt à monumento. tenebat enim eas tremor & stupor neque cuiquam quicquam dicebant: timebant enim.*

9 *Quum autem resurrexisset Jesus, manè, primo* die *hebdomadis: apparuit primùm Mariæ Magdalenæ, ex qua ejecerat septem dæmonia.*

10 *Illa*

10 *Illa profecta annuntiavit iis qui cum ipso fuerant, lugentibus ac flentibus.*

11 *Illi verò quum audissent eum vivere, & conspectum fuisse ab ea, non crediderunt.*

12 *Postea autem duobus ex ipsis ambulantibus apparuit aliâ formâ, quum rus proficiscerentur.*

13 *Et illi abierunt, & annuntiaverunt reliquis:* qui *nec illis crediderunt.*

14 *Postea accumbentibus ipsis,* nempe *illis undecim, exhibuit sese, & exprobravit incredulitatem eorũ, & cordis duritiem: quòd iis qui ipsum conspexerant excitatum, non credidissent.*

TEstimonia resurrectionis Domini hîc narrantur sex: primum angeli apud tres mulieres, usque ad v. 9. secundum ipsius Domini apud Mariam Magdalenam, v. 9. tertium Mariæ Magdalenę apud discipulos Domini, v. 10. & 11. quartum rursus Domini, apud duos ex discipulis, v. 12. quintum duorum illorum discipulorũ apud reliquos, v. 13. postremum iterum ipsius Domini apud apostolos unâ congregatos, v. 14. *Testimonium angeli apud mulieres* illustratur, probatur & amplificatur. Illustratur à circumstantia temporis quo pronuntiatum fuit, à speciali nominatione mulierum apud quas fuit pronũtiatum, & ab occasione angelo ad id pronuntiandum oblata. Tempus, fuit tempus matutinum primo die hebdomadis (qui tertius erat à Domini sepultura) paulo post solis exortum: ut percipitur ex collatione versus primi & secundi cum quatuor sequentibus. Nomina mulierum habentur v. 1. Occasio fuit adventus mulierum ad sepulchrum, & pavor ex aspectu Angeli. Adventus mulierum describitur adjuncta præparatione, videl. coëmatione aromatum, v. 1. ex fine seu proposito, videl. ut ungerent Jesum, ibid: ex circumstantia temporis, videl. exacto sabbatho, primo die hebdomadis: quum egressæ essent valde manè, venerunt ad sepulchrum orto jam sole, v. 1. & 2. Præterea ex adjuncta sollicitudine lapidis à sepulchro devolvendi, v. 3. Ex inopinato eventu, videl. cõspectu lapidis jam devoluti, v. 4. Ex subsequuto ingressu in monumentum, in principio versus quinti. Et sic describitur mulierum ad sepulchrum adven-

tus. Pavor autem illis ex aſpectu angeli obortus, deſcribitur è cauſa procreante, videl. ſplendore cæleſti angeli: qui angelus deſcribitur à forma, quòd fuerit juvenis: à geſtu, quòd ſederit: à ſitu, quòd ſederit ad dextram ſepulchri: & denique ab amictu, quòd amictus fuerit ſtola candida, v. 5. Atque ſic teſtimonium angeli illuſtratur. Idem verò probatur teſtimonio ſenſus ſeu demonſtratione oculari. nam oſtendit mulieribus locum monumenti vacuum, ubi corpus Domini fuerat poſitum, in fine verſus ſexti. Denique idem teſtimonium amplificatur primùm corollario ſeu deductione conſolationis ad illas mulieres, ne expaveſcant, hoc eſt ut pavorem deponant: in principio verſus ſexti. Deinde ſignificatione ſuæ notitiæ de mulierum illarum propoſito: quæ nimirum ſignificavit, ſe non eſſe hominem, ſed angelum à Deo miſſum ad teſtandum illis mulieribus de Domini reſurrectione: ibid. Tum appendice mandatorum perferendorum ad diſcipulos Domini, v. 7. Poſtremò expoſitione eventus duplicis: nempe quòd mulieres illæ tremore ac ſtupore correptæ ſint: deinde quòd citò abierint, nimirum ad mandata illa Apoſtolis referenda. quod propoſitum amplificatur antitheſi rei diverſæ, quòd nemini quicquam dixerint: hoc eſt (ut ego quidem exponendum puto) quòd nemini in via ſibi occurrenti quicquam eorum dixerint quæ modò viderant & audierant in ſepulchro. *Secundum teſtimonium* illuſtratur indicatione temporis & ordinis, & deſcriptione Mariæ ex proprio quodam adjuncto, ut patet in verſ. 9. *Tertium teſtimonium* illuſtratur ex cauſa impulſiva, videl. mandato Domini, ut percipitur ex collatione cum verſu præcedente: deinde periphraſi diſcipulorum è ſubjecto recipiente ad ſe: tum ex proprio quodam adjuncto ut patet in v. 10. poſtremò ex eventu, videl. incredulitate diſcipulorum, v. 11. *Quartum teſtimonium* illuſtratur à ſubjecto loco ubi Dominus apparuit diſcipulis illis, videl. in via: deinde ab adjuncto apparentis, videl. aliâ formâ, hoc eſt, alio veſtitu quàm antea apparuerat Mariæ Magdalenæ cui apparuerat in forma hortulani (Joh. 20. 15.) poſtremò ab adjuncto propoſito diſcipulorum quibus apparebat, videlicet

proficiscendi rus: v.12. *Quintum testimonium* (v.13.) illustratur primũ significatione causæ impulsivæ, videl. cupiditatis exhilarandi fratres lugentes: ut percipitur ex serie narrationis, quòd scil. Domino conspecto, statim abierint ad reliquos discipulos, ad hoc illis annuntiandum. quod ipsum expressiùs declarat Lucas, qui ait, illos surrexisse eo ipso momento quo Dominus ex eorum conspectu fuerat ablatus, & reversos esse Hierosolymam: Luc.24.v.33. Deinde illustratur hoc testimonium ab eventu, videl. incredulitate reliquorũ discipulorum. *Sextum testimonium* (quæ fuit tertia Domini apparitio) illustratur (v.14.) à gestu eorum quibus apparuit, quòd videl. unâ sederint seu discubuerint: & amplificatur appendice exprobrationis qua illis Dominus exprobravit incredulitatem.

SECUNDA PARS.

Legatio Apostolorum.

15 *Et dixit eis, Profecti in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

16 *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

17 *Signa autem eos qui crediderint, hæc subsequentur. Per nomen meum dæmonia ejicient: linguis loquentur novis.*

18 *Serpentes tollent: & si quid lethale biberint, nequaquam nocebit eis: ægrotis manus imponent, & bene habebunt.*

Legatio apostolorum declaratur è subjectis locis in quę fuit proficiscendum: è subjecto occupante seu objecto annuntiationis legatorum: è subjectis personis, quibus objectum illud fuit annuntiandum: & denique ex eventis. *Loca* significantur his verbis, *Profecti in mundum universum*. *Objectum* istis, *Prædicate Evangelium*. *Personæ* illis, *Omni creaturæ*: quo nomine videtur significari omne hominum genus, cujuscunque sit conditionis aut status. *Eventa* prædicuntur tum ordinaria & plurium communia, tum extraordinaria & certorum propria. Ordinaria atque communia indicantur (v.16.) duo inter se contraria; videl. fides quorundam, & aliorum incredulitas. quæ utraq; illustratur è suo effectu, salute scil. & condemnatione. Cujus il-

lustrationis, id est tum promissionis, tum comminationis, scopus est, ut in legatione sua constanter fungenda apostoli confirmentur, spe scil. illorum effectuum: quorũ uterque ad gloriam Dei, alter verò etiam ad utilitatem hominum electorum facit. Extraordinaria eventa & certorum (videlicet doctorum Evangelii primorum) propria, sunt signa: id est, miracula ad confirmationem Evangelii tanquam doctrinæ tunc novæ pertinentia: quorum enumerantur quinque genera, v.17.& 18. ut patet.

TERTIA PARS.

Ascensio Domini, & sessio ad dextram Dei.

19 *Dominus igitur postquam loquutus fuisset eis: sursum receptus est in cœlum, & consedit ad dextram Dei.*

20 *Illi verò egressi, prædicarunt ubique: Domino unâ operante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.*

Ascensio Domini illustratur ab adjunctis *testibus* seu spectatoribus, videlicet apostolis: ubi dicitur, *Dominus igitur postquam loquutus fuisset eis:* v.19. Sessio ad dextrã Dei, (id est, regia gubernatio Ecclesiæ) declaratur *exemplis duobus:* cooperatione cum apostolis prædicantibus Evangelium, videlicet illuminatione cordium electorum: & confirmatione sermonis illorum per subsequentia signa, id est, editione miraculorum per manus apostolorum ad Evangelium confirmandum.

SCHOLIA IN CAP. XVI.

1 *Emerant aromata.* ἠγόρασαν ἀρώματα. Scil. biduo antè nempe die parasceves finiente; ut testatur Johannes cap. 19. v. 56. Itaque aoristus hoc loco habet significationem præteriti plusquam perfecti: ac proinde non vertendum, *Emerunt:* quasi scilicet emerint exacto demum sabbatho. *Venientes.* ἐλθοῦσαι. Nempe quum primùm liceret & commodè fieri posset. Non licebat autem nisi sabbatho exacto, ut percipitur ex loco Johannis modo citato: nec cõmodè fieri poterat, nisi exorto sole in primo die civili hebdomadis. Itaque mox sequitur, quòd ad monumentum venerint valde manè, exorto sole.

2 *Itaque*

2 *Itaque* κ). Copulativa pro illativa. *Itaque*: scilicet quia jam biduo antè emerant aromata, ut quum primùm liceret & commodè possent, Jesum urgerent. *Primo* die hebdomadis. τ μιᾶς σαββάτων. Pro, τ πρώτης (scil. ἡμέρας) τ ἑβδομάδ&. Hebraismus geminus. Vide scholia in Matthæum. Cæterùm τῆς μιᾶς dicitur per ellipsin Græcam nominis χρόνῳ, pro τῇ μιᾷ, quomodo loquuntur Lucas & Johannes. Et Marcus ipse infrà v. 9. dicit, Jesum resurrexisse πρώτῃ σαββάτου. *Ad monumentum*, ὅτι τὸ μνημεῖον. Ad sepulchrum ubi positum fuerat corpus Jesu. Id quod notat articulus. *Exorto sole*. ἀνατείλαντ& τ ἡλίε. Lucas ait eas veniisse ὄρθρου βαθέ&, diluculo profundo: Johannes autem ait, eas veniisse manè quum adhuc essent tenebræ. Quæ non videntur convenire cum eo quod hîc ait Marcus, veniisse illas exorto jam sole. Sed statuendum, Lucam & Johannem loqui de itineris ad sepulchrum susceptí mitio, quòd scilicet summo mane sub solis ortum urbe exierint: Marcum verò de itineris illius fine, quòd sole modò exorto ad sepulchrum venerint. Et sanè ipse quoque Marcus initium itineris significat, quum ait eas veniisse λίαν πρωΐ, valde mane: hoc est, valde mane exiisse.

3 *Dicebántque* κ) ἔλεγον. Scilicet quum adhuc essent in itinere, nec dum veniissent ad sepulchrum.

4 *Póst.* κ). Pro, μετὰ ταῦτα. Copulativa pro relativa temporis. *Post*: Scilicet quàm inter se sollicitè quæsiviss-ent, quomodo lapidem à sepulchro devolverent: ex collatione versus præcedentis. *Quum suspexissent*. ἀναβλέψασι. Significatur, antea inter colloquendũ oculos terram versus dejectos habuisse, aut ad sese mutuò convertisse, ut inter colloquendum fieri solet. *Esse devolutum*. ὅτι ἀποκεκύλισται. Id autem factum erat per Angelum, Matt. 28. 2. *Nam erat magnus valde*. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα. Hęc sententia cohæret nõ cum proxime-præcedente, sed cum remotiore quæ habetur v. 3. Exponit enim Evangelista causãm istius sollicitudinis mulierum de lapide devolvendo. Talis inversio ordinis fuit supra cap. 12. v. 12.

5 *Juvenem*. νεανίσκον. Id est, Angelum specie juvenili in corpore assumpto ministerii hujus fungendi causâ. Me-

Metaphora. Confer Matth. 28. v. 2.

7 *Et Petro.* καὶ τῷ Πέτρῳ. Id est, ac imprimis Petro. Nam alioquin esset ἀδολεσχία: quum constet, Petrum quoque in discipulorum numero fuisse. Sic generi species per copulativam conjunctionem subjicitur Esa. 1. v. 1. Visio Jesaiæ quam vidit de Jehuda & Jerusalemo. Item cap. 2. v. 1. Cæterùm Petro imprimis, ac præ cæteris discipulis, annuntiari debuit resurrectio: quoniam is in majore mœrore erat: quippe qui Dominum negaverat.

8 *Neque cuiquam quicquam dicebant.* καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον. Ad verb. Et nemini nihil dicebant. Græcismus: nam gemina negatio apud Græcos fortiùs negat. Est autem hoc intelligendum per synecdochen generis, eamque duplicem: nempe quòd nemini in via sibi occurrenti dixerint quicquam de iis rebus quæ ipsis evenerant apud sepulchrum. Nam quòd illas res (ut ab angelo jussæ erant) annuntiaverint discipulis, liquet ex verbis Matthæi: qui ait, eas cucurrisse ut annuntiarent discipulis, Matth. 28. 8.

9 *Primo* die *hebdomadis.* πρωΐ τῇ σαββάτου. Ad πρωΐ τῇ subauditur ἡμέρᾳ. σαββάτου autem per synecdochen membri usurpatur pro hebdomade: quoniam est ultimus hebdomadis dies quo illa perficitur.

12 *Aliâ formâ.* ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ. Id est, alio habitu seu vestitu, nam quòd formam nativam vultus sui retinuerit, planum est ex verbis Lucæ cap. 24. v. 16. ubi dicit, oculos duorum illorum discipulorũ fuisse retentos, ne ipsum agnoscerent. Quid autem hac retentione oculorum fuit opus, si ipse vultus ejus à nativo ac pristino diversus erat?

14 *Postea.* ὕστερον. Non puto recte verti, *Novissimè* aut *Postremò*. nam hanc non fuisse ultimam apparitionem sive ostensionem Domini, manifestum est ex Johanne: qui narrat Dominum octiduo pòst iterum apparuisse discipulis præsente Thoma, qui in prima apparitione aberat, cap. 20. v. 26. & deinceps. Item cap. 20. narrat, quòd postea se iterum eis præfecerit, ad mare Tiberiadis. *Accumbentibus.* ἀνακειμένοις. Scilicet in cœna: ut colligitur ex serie narrationis apud Lucam cap. 24. ex collatione versus 33. & duorum sequentium cum v. 36. Unde perspicitur, duos illos discí-

discipulos á cœna quam in propinquo vico Emmaus fuerant exorsi, confestim post Dominum in fractione panis agnitum rediisse in urbem ad discipulos: quibus dum narrarent quomodo Dominum vidissent, ipse ex improviso medius inter ipsos astitit. Probabile est autem, discipulos eodem tempore cœnam cepisse. *Ipsis*, nempe *illis undecim* αὐτοῖς, τοῖς ἕνδεκα. Appositio: qualis Matt. 3. 4. αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης: Ipse verò, *nempe* Johannes. *Illis undecim.* τοῖς ἕνδεκα. Scilicet discipulis: ut plenè loquitur Matth. 28. v. 16. Videlicet undecim Apostolis. pro; Apostolis, in genere & indefinitè. nam Thomas tunc aberat, ut constat ex narratione Johannis. unde relinquitur, congregatos tunc fuisse tantùm decem. Est Periphrasis ex adjuncto. nam post interitum Judæ Iscariotæ, Apostoli à numero appellabantur οἱ ἕνδεκα: ut præter hunc locum liquet ex Matth. 28. v. 16. Luc. 24. v. 9. & 33.

15 *Et dixit eis.* καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Non statim post apparitionem proximè narratam: quæ facta fuit in urbe Hierosolyma: sed tum demum quum undecim discipuli profecti essent in Galilæam, in montem ubi Dominus eis constituerat: ut manifestum est ex verbis Matthæi, cap. 28. v. 16. & sequentibus. *Omni creaturæ.* πάσῃ τῇ κτίσει. Id est, omnibus gentibus: ut loquitur Matthæus. Est igitur synecdoche generis hyperbolica.

16 *Qui crediderit.* ὁ πιστεύσας. Scilicet Evangelio, seu in Christum. *Et baptizatus fuerit.* καὶ βαπτισθείς. Scil. si copiam baptismi habuerit. Secus enim non ita præcisè Baptismum ad salutem esse necessarium: patet ex sententia sequenti, huic opposita, ubi Baptismus omittitur. Si autem Baptismus æquè ac fides ad salutem requirentur: dicendum fuisset in antithesi, ὁ δὲ ἀπιστήσας ἢ μὴ βαπτισθείς, καὶ καλαχρισθήσεται: id est, Qui verò non crediderit aut non fuerit baptizatus, condemnabitur. Hinc illud axioma in Ecclesia receptum: Non privatio Baptismi, sed contemptus damnat. *Servabitur.* σωθήσεται. Salute scilicet æternâ. *Qui verò non crediderit.* ὁ δὲ ἀπιστήσας. Scilicet etiamsi fuerit baptizatus: ut patet ex dictis. *Condemnabitur.* καλαχρισθήσεται. Scil. morte æternâ, seu ad cruciatus æternos.

17 *Signa.* σημεῖα. Id eſt, miracula quibus ſignificabitur divinitus teſtatumque reddetur ſpectantibus omnibus, Fidem ſeu Religionem quam ipſi profitentur ac docent, eſſe veram & à Deo profectam. Synecdoche generis. *Eos qui crediderint.* τοῖς πιστεύσασι. Inprimis doctores Evangelii. *Per nomen meum.* ἐν τῷ ὀνόματί μου. Id eſt, invocato nomine meo. ut Petrus Act.3.v.6. dicebat ad claudum: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Vel, per nomen meum: id eſt, per potentiam meam. Hæc enim duo tanquam idem ſignificantia uſurpantur Act.4.v.7.ubi Pontifices Hieroſolymitani dicunt Petro & Johanni: Quâ potentiâ aut quo nomine feciſtis hoc? id eſt, ſanaviſtis claudum: ἐν ποίᾳ δυνάμει ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι. *Dæmonia ejicient.* δαιμόνια ἐκβαλοῦσι. Exemplum vide Act.16.v.18. ubi Paulus ejicit ſpiritum Pythonis è quadam ancillula. *Linguis loquentur novis.* γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς. Exempla vide Act.2.v.4. ubi Apoſtoli accepto Spiritu ſancto in die Pentecoſtes, ſubitò loqui cœperunt aliis linguis. Et cap. 10. v. 46. ubi domeſtici Cornelii centurionis, auditâ concione Petri, loquebantur linguis, ſcilicet novis.

18 *Serpentes tollent.* ὄφεις ἀροῦσι. Scilicet illæſi. Exemplũ vide Act.28.v.5. ubi Paulus in inſula Melita viperam quæ ex pyra accenſa prorepens, manum ejus invaſerat, excuſſit in ignem, nihil mali paſſus. *Ægrotis manus imponent, & bene habebunt.* ἐπὶ ἀρρώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι, καὶ καλῶς ἕξουσι. Id eſt, Et mox poſt illam manuum impoſitionem ægroti illi convaleſcent. Exemplum vide Act.28.v.8. ubi Paulus patri Publii, primarii inſulæ Melitæ, febricitanti & dyſenteriâ laboranti manus impoſuit, atque ita eum ſanavit. Sic Petrus Æneam paralyticum ſanavit verbo, Act 9.v.34.

19 *Surſum receptus eſt.* ἀνελήφθη. Id eſt, ἀνω ἐλήφθη. Nam præpoſitio ἀνὰ hîc non notat iterationem: quum certum ſit, Dominum ſuo corpore antea non fuiſſe in cœlo, nec inde illo deſcendiſſe, ut poſſit dici iterum illo eſſe in cælum receptus. *In cælum.* εἰς τὸν οὐρανόν. Nempe in cælum illud ſupremum quod Paulus nominat tertium, 2. Cor. 12.v.2. Etenim in Scriptura triplicis cæli mentio fit: ſupremi illius, quod hîc intelligitur: & medii, in quo hærent ſtellæ;

&

& infimi, in quo volant aves: quod aliâs nominatur aër. Hinc jam potest intelligi, non repugnare huic narrationi verba Apostoli Hebr. 4. v. 14. ubi dicit, Habemus Pontificem magnum, qui penetravit cælos, διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς. Loquitur enim illic de duobus cælis inferioribus. Nam ad summum cælum quod attinet, ait idem in eadem epistola, Christum ingressum esse in ipsum cælum, εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν. Similiter non pugnat quod idem Apostolus scribit Ephes. 4. v. 10. Christum ascendisse supra omnes cælos, ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν. quod intelligendum est de cælis hisce aspectabilibus ubi hærent stellæ, quorum octo ab Astronomis statuuntur. *Consedit.* ἐκάθισεν. *Hat sich gesetzt.* At *Sedit*, significat, *Christ gesessen.* quod huc non quadrat, nec voci Græcæ respondet.

20 *Ubique.* πανταχοῦ. Scilicet ubique locorum quo singuli duce Spiritu sancto pervenerunt: unus huc, alter illuc. *Sermonem.* τὸν λόγον. Scilicet ipsorum, & quidem sermonem de regno Dei seu Evangelium. Hoc notat articulus. *Per signa.* διὰ σημείων. Vide suprà in versum 17.

OBSERVATIONES EX CAP. XVI.

Ex parte prima, vide Matth. 28. à principio usq; ad. v. 11.

Ex parte secunda, vide Matth. 28. à v. 16. usq; ad finem.

Item, ex v. 17. & 18. Doctrina Evangelii non potest jure repudiari: quia signis seu miraculis divinis abundè est confirmata.

Ex parte tertia Confirmantur duo articuli fidei: videl. Ascendit in cælum: &, Consedit ad dexteram Dei.

FINIS.